
# IOAN. PAPONIS CROZETII, FORENSIS PROVINCIAE IUDICIS,

## IN SEXTUM DECALOGI PRAECEPTUM, NON MOECHABERIS, LIBRI IIII.

*

Huic volumini annexum est opusculum s. Gregorij Batici, epi, de fide &c.






Bibliotheca Collegij sancti Pauli in ...


A LYON,
PAR IEAN DE TOURNES.
M. D. LII.

Cum Priuilegio ad triennium.




# Extrait du Priuilege.



Il eſt deffendu à tous Imprimeurs & Libraires de ce Royaume de non imprimer ne faire imprimer, ny expozer en vente ce preſent liure intitulé *Ioan. Paponis Crozetij, Forenſis Prouinciæ Iudicis, in ſextum Decalogi præceptum, Non mœchaberis, libri* III. Iuſques au bout & terme de trois ans, venans enſuiuans & conſecutifs, commençans du iour & date du Priuilege: & ce, ſus peine de confiſcation & d'amende arbitraire, comme plus amplemẽt eſt contenu audit Priuilege ſus ce ottroyé, & donné à Paris le ſecond iour d'Auril mille cinq cens cinquante & vn, auant Paſques.

# Viro clarissimo Claudio Vrsæo, INTER MILITES TORquatos meritissimo, Galliarum principum gubernatori, Regis cubiculario & consiliario, Forensisq; prouinciæ præfecto, Ioannes Papon eiusdem prouinciæ Iudex & supppræfectus S.



ODESTIAE *partes aliquot, quæ publicam honestatem referre magis videbãtur, tractaturo mihi tu vnus, vir integerrime, occurristi, cuius exemplo, si qua inter humanas alia re, negotium prorsus & in omnes suas partes poterat absolui. Cùm tu etenim & in dicendo & in peragendo, singulari quadam fœlicitate, cæteros, quos nouerim, antecellas, nullus erat scribendi futurus exitus, si cuncta ea modestiæ officia, quæ tu vnus præstantissimè refers, attingere & excurrere instituissem: sed cùm forensia negotia, quæ iure tuo hic peraguntur, ea me necessitate constringunt in officij religionem, vt temporis ratio mihi libera non sit: cumq; aut totum eo sit producendum, aut si aliquid licet suffurari, id, quicquid est, rei domesticæ impendi pium est: visum fuit modestiæ huius illa tantum officia persequi, quæ magis in vsu sunt, quibusq; hodie vulgò declinatur. Perparum est: sed quale quale est, sanctorum horum dierum, quibus institium fuit, opus est, legitimè tibi exhibendum homini amplissimo & modestissimo ab homine tibi deditissimo, tuiq; mirificè obseruantissimo. Putaui itaq; me secundum officium esse*

*facturum, vt qui te plurimum & obseruare & colere, præcipueq́ in honore habere debeo, nullum alium operis huius patronum, quam teipsum mihi deligam: confido autem te æquo animo suscepturum clientelam meam, præsertim in causa tuæ summæ virtutis amplissimæq́ dignitatis propria & honorifica. Præclara sunt & excelsa, quæ in te obseruata sunt, quæ reticere & non reuereri nemo potest, vt tu, à Rege nostro ex pluribus delectus vnus in concilij vniuersalis negotium eam prudentiam, diligentiam, industriamq́ tam fæliciter exhibueris, vt in laudem maximam non sensim, sed virtutis impetu, non apud tuos tantum, sed apud extraneos prouectus sis. Nam cùm huius concilij habendi causæ multæ iustæ & graues viderentur, suaserat spes fructus & commodorum, quæ ex eo expectanda fuerunt, vt singuli Christianæ reip. principes conuenirent: cumq́ inter hos insigniter & præter alios eluceret Rex noster Christianissimus, æquum fuit & necessarium, vt huius vices ab eo, qui cum ingenti delectu dignus esset inuentus, referrentur. Tu tanto negotio dignus & ad id legatus spem, quæ initio suscepta fuit, non tantum confirmasti, sed accessione locupletasti in communes vtilitates, quam in priuatas propensior, consilijq́ dexteritate & rerum successu fælix. Tum, apud summum Pontificem Paul. III. legatus adeo dextera prouidentia res, quæ in manu tua fuerunt, tractasti: vt euentu tam secundo regem regnumq́ ipsum totum maximè commoueris, & ea causa in te omnium ora conuersa sunt, nemoq́ non est virtutem tuam & fortunam demiratus. Etenim eiusmodi fuerunt tempora & ea impendebant negotia, vt si vnquam aliàs, tunc maximè & vigilans & prudens consilium fuit desideratum: te quoq́ legato idem summus Pontif. (quem viuum tuo ductu tranquillum habueramus) decessit. Cum successore autem tandiu placidè actum est, quandiu Romæ fuisti: te*

*verò*

*vero inde profecto, confestim bellum in Regem, & alios quosdam, qui fidem eius sequebantur, vt properè commotum est & acerbè denunciatum, ita & grauiter susceptum. Constant hic omnium sententiæ id leuiori causa euenisse, quàm personæ sanctitas ferebat: remq́ idcirco tempore cognitam restitui cœpisse, & ab armis, vt æquum fuit, sensim discedi. In summa, tu eo legationis munere ita vbiq; functus es: vt non tantum honoris dignitate (qua nemo ætate nostra ad regis autoritatem & laudem propius accedere visus est: idq́ magno rerum tuarum dispendio) sed fide, prudentia & diligentia principi illi præclarè satisfeceris. Quæ illi ingenuè comperta sunt, cùm apud eum vsq; eo valuerit tui animi magnitudo, vt te nihil cogitantem, ac ne forsan cupientem quidem, in Torquatorum militum sacrum ordinem præter omnem expectationem tuam cooptauerit, & adhuc in Italia agentem torque isto aureo Romam præmisso honorarit. Adiecit & huic summo honori alium proculdubio omnium maximum: cùm etenim filijs generosissimis immensæq; spei principibus nihil haberet carius, eorumq́ educandorum & instituendorum rationi, paterna affectione deferret, te tam multarum rerum peritum, & in tanta negotiorum grauitate expertum, in locum demortui moderatoris optauit: qui istorum principum ætati temperares. Circumspexit rex, quid viri sis, quàm mira sit paucitas id genus hominum, tum & quàm diligenter, cautè, modestè muneri isti grauissimo inuigilandum esset. Nouerat denuo non communi prudentia periclitari remp. si in eo esset erratum: cùm principibus, vt censuit Plato, bene maléue institutis, eodem modo rempub. ipsam tractari contingat, quo principes affecti sunt. Crates solebat summo vitio taxare eos, qui rem faciunt diligentissimo diuitiarum congestu, filiorum verò, quorum gratia id agitur, curam nihil agunt: eosq; volebat conferri luxui*

deditis, qui vestimenti curam tantum habent, corporis nullam prorsus. Nemo nescit, etiam mediocriter expertus, quantum periculi ea res afferat: cùm, etiam si res bene cedat, sollicitudinis & curarum plena sit: quod si male, erumnarum nullus est modus. Cæca etenim res est sine disciplina, natura, & sicut in agrorum cultura bonam imprimis tellurem esse oportet, tum serendi peritum agricolam, ad hæc optima semina: sic vbi naturam præexcellentem istorum principum nactus es, tu moderator ad instar rerum rusticarum callidissimi agricolæ, institutionum ac morum ingenuorum semina poteris conferre ea, quæ in promptu habes: fietq́, vt tibi ingentem fælicitatem & fauorem diuinum gratulemur, cui singula hæc Deus non parcè contulit. fama traditum est, multusq́ vulgi sermo fuit, quosdam proceres aulicos per gratiam & sollicitam contentionem ad id munus excipiendum accurrisse, habuisseq́ plures classicos & gratiosos, qui digitum tollerent & fauore adessent. Sed in causa tantopere commendata æquissimus Rex principum & reipub. partes clementissimè suscepit: & omnium ratione ad dignitatem, laudem, & reip. vtilitatem inita, te vnicum plurium principum educatorem & institutorem elegit, & nondum ex Italia nobis redditum. Noluit gratiæ & fauori imprudentius deferre in re tum ardua, prudentissimeq́ rem egit: Nam, vt Plutarchi consilium est, eiusmodi negotia extra gratiam amicorum absoluenda sunt. Ille enim eos, qui rogantium fauore filios tradunt vtcunque educandos, aptè confert his, qui ægrotis, salutifero medico prætermisso, imperitos arcessunt in laborantis perniciem, vt horum gratiam ineant. Cumq́ reuera præter omnem opinionem tuam id munus sit tibi vltro delatum nihil ambienti, modestia tamen fide & integritate apud omnes commendatissimo, tibi eo nomine magis benedicendum est: regiq́ maior laus

astruenda

*astruenda, quod in eo negotio satis docuerit, quantopere istis principibus & reip. consultum ac prouisum velit, te ad id committendo, quo in rep. nihil aliud erat magis obseruandum. Sibi enim rectissime constituit maximum omnium, longéq; præcipuum esse, habere principem ab infantia exacte institutum, doctum, & probis moribus educatum: ad idq; patris sollicitudinem eam esse potiorem, vt curet præficere eos, qui frugi sint, & quorum vita nequam aut impura non sit, sed sint mores inculpati, modestia cognita, & optimum experimentum. Leonides Alexandri educator quibusdam eum vitijs imbuit, quæ robustum quoque & iam maximum regem ab illa institutione pueríli sunt prosecuta. Phœnix apud Homerum integer, modestus, factorum & verborum prudentissimus à Peleo principe Achilli filio educando præfectus est: vt ei pariter dicendi & faciendi ductor esset, atque magister. Ciri Regis virtutes quas mirari magis, quàm satis laudare possis, educatio sola produxit. Natura etenim id habet peculiare & liberius permittit, vt tales efficiamur, qualis fuit educatio: & parandæ virtutis instrumenta præcipua sint, disciplina, doctrina, consuetudo, vitæq; institutio. In rem hanc extat Licurgi cautio, qui duos catulos ex ijsdem parentibus natos dissimili more sustulit, palamq; probauit dissimiles factos esse, vnum ad cursum, sagacitatem, indaginem, & venationem: alterum corruptum ad ollam, helluationem, & ingluuiem. Tu igitur in summa nimirum fœlix es, cui & fortuna & virtus tam clementer deferri voluit. Nouissime & didiscimus te sacri consilij, iureiurando regi præstito, consiliarium creatum esse, cum magno honore, tum & maiori occasione ex tua in tot negotijs perspecta rerum omnium peritia. Tandem, vt finiam, te Præsidem nostrum iustum & grauem per Deum immortalem, vnde tua ista omnia secunda producta sunt, vt & tu profiteris,*

*exoro,*

*exoro, vt istam tuam mentem, tot sapientiæ thesauris refertam, ad publici boni notam conferas, nosq; non deseras: quod cùm præstiteris, hac certè via apud Deum ingentem gratiam consecuturus es, apud homines laudem: Deum verò ipsum, vt omnia tua vota secundet, adiuuet, regat, adaugeat, possimusq; nos, qui toti tui sumus, & tuo nomini, famæ, honoriq; prorsus dediti videre & sentire fortunam tuam in dies increscentem: quam ego neq; silentio tegi, aut mutam esse permissurus sum, si nouero hoc, quicquid est operis tumultuarij, tibi gratum esse.*

*Bene vale. Montisbris.*

# IOAN. PAPONIS CROZETII IN SEXTVM DECALOGI PRAECEPTVM, NON MOECHABERIS, PRAEFATIO.



NTER initia rerum, primoq; sæculo, summus ille naturæ princeps, autórque Deus Opt. Max. cũ cœlum & terram procreasset, terramq; vacuã, postquam Sole & Luna illuxit, aquis, plantis, et feris oppleuisset, hominem eduxit de limo terræ. Quo in negotio ea maximè voluit esse præcipua, vt cùm cætera animantia iusserit tantum è terra produci, hominem ipse singulari decreto voluit formari ad imaginem & similitudinem suam: quæ facilè omnium animantium formam vincit pulchritudine, excellentia, & virtute quadam potentiaq; diuina contra sæuissimas maximasq; ferarũ: quæ, vt à Plinio magis aptè scriptum est, quàm cognitum hominem etiam antea nusquam visum incipiant timere, statimq; intelligere, cur timere debeant. Tum, spirauit Deus in faciem hominis spiraculum vitæ. Cùm enim corpus è terrena materia tanquam

*Hominis procreatio.*

*Humana forma dignitas.*

*Anima creatio.*

vas & receptaculum compoſitum eſſet,in id animam cœleſtem & diuinam concluſit: idq; eſt vitæ ſpiraculum, quod dominus inſufflauit, quod ſemper in ipſo fuit,ab eo exijt,& ad ipſum reuerti aptum eſt: corpus verò vt à terra profectum,terræ redditur.Denuo homini terram & omnia, quæ mouentur ſuper eam, ſubiecit. Cùm enim cætera aliorum cauſa generata ſint, vt fruges, fructus, animantium cauſa,animantes hominum cauſa creauit vario munere:equum & aſinum vehendi cauſa, bouem arandi, canem obſeruandi & venandi. Hominem ipſum cœli quadam cognatione ſolum erexit ad Dei notitiam & contemplationem ſupernorum. Curæ poſtremò maximæ eum habuit, alioqui vagum & adeo contumacem & præpoſterum,vt neque ad officium,neque ad religionem natura, aut vllo alio modo confirmari potuerit: quinimo, quanto plus cumulabatur diuinis beneficijs, creſcebatq; numero, tanto magis luxuria effluxit, recruduitq; vetere malitia. Quæ cauſa fuit,vt eo iam ad plura millia aucto, per diluuium deleto, nouam Dominus, pœnitentia huius primæ prolis, per Noë reſeruatam protulerit. Illa, cum in plures familias & numerum planè infinitum, ſecundum eá, quæ iuſto Abraham erant benedicta, excreuiſſet, & aliquot annos ſeruitutis iugum pars deſtinata excepiſſet, demum è domo ſeruitutis & terra aliena manu Domini ſtratagemate portentoſo educta eſt. Sic redempta & à domino pluris habita; cum diuinis ſermonibus fruſtra edoceretur per Moſem, videreturq; malè morigera & duræ ceruicis,cùm præſertim beneficiorum recentium oblita contra duces ſuos identi-

*Hominis cauſa cætera creata.*

*Hominis naturalis contumacia.*

*Diluuium vniuerſale ad nouam prolem.*

dem fœrociret, Visum est Domino expedire, vt plebs rudis & inculta scriptis legibus constabiliretur: sanè futurum esse, vt eo tanquam fomēto desæuiret, quod inde sui notitia magis procedat, secundum id Prophetæ: Constitue domine legislatorem super eos, vt sciant gentes, quia homines sunt. Nempe Mosi datæ sunt à Domino leges infinitæ, iussumq; vt eas publicaret, ederetq; populo. Has denuò summatim in decem præcepta circumscripsit (idq; compendium, quo illæ comprehensæ sunt, decalogus dictus est) viuaq; voce Dominus edixit, & in lapideas tabulas describi iussit in perpetuū & certum omnibus testimonium. Prioribus tribus præceptis, quæ sunt, Non habebis Deos alienos, Non assumes nomen Dei tui in vanum, Diem sabbati sanctifices, religionis ratio descripta est: vt significaret Dominus sine religione cætera nihili fieri: & opes, honores, dignitates, potentiam, sapientiam, & prorsus alias res nullo loco numerari, & pro stercore haberi: salutem denique animæ periclitari, frustraq; nos acturos quicquid enitimur, siue in negotijs priuatis, siue publicis, si Deus curam nostri nō agat, si alium Deum fictitiū quęramus. Huic enim soli toto corde fidendum, qui viget, qui præuidet, qui regit, qui moderatur, qui æternus, qui non creatus neque finiturus est, qui dixit. Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me, & faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me & custodiunt præcepta mea. Cætera septem præcepta ad ciuiles mores præscripta sunt: vt, Honora patrem & matrem. Non occides. Non

*Legum necessitas.*

*Decalogus.*

*Leges decalogi religiosa.*

*Religio quā necessaria et efficax.*

*Leges decalogi ciuiles.*

mœchaberis. Furtum non facies. Contra proximum falsò non testificaberis. Non concupiſces domum proximi tui. Non deſiderabis vxorem eius, non ſeruum, non ancillam, non aſinum, nec alia, quæ illius ſunt. Quorum nullum aliud mihi videtur maius, aut amplius, quàm illud, quod ordine ſextum eſt, Non mœchaberis: quandoquidem nullum eſt, quo magis Domini gratiam poſsimus mereri, obtinere, & conſeruare: & viciſsim, ſi præuaricemur, neq; velimus id ſequi, alia offenſa non æquè domini iram commereri & ſentire poſsimus. Caſtitatem enim & munditiam imprimis ille teneri vult, nec adulterium, ſpurcitiem, aut luxum ferre poteſt, neque adhuc reliquit impunitum eum, qui eo mali genere lapſus eſt: teſtimonium promptum eſt diluuij vniuerſalis vſque ad Noë & eius familiam: Quotidianum ſingulorum circa id delirantium, quorum nullum tibi proponas à vindicta diuina abijſſe immunem: alius enim ludibrio publico, alius valetudine, alius pauperie horribili, alius ſupplicio aut diuino, aut humano cæteros debuerunt admonere, quantum ſeuerus ſit dominus circa leges ſuas, qui dixit, Ecce ego mitto Hieſabel in lectum: Qui mœchantur cum ea in tribulatione maxima erunt. Hoc præceptum omnem viuendi modeſtiam & publicam honeſtatem ſtatuit, & ſub eo cætera commodè tractari & comprehendi poſſunt. Nam vt dicit Iacob. qui dixit, non mœchaberis, dixit, non occides: & Auguſti. ſub præcepto hoc non mœchaberis, inquit, primum implicuit, Non habebis deos alienos: vt non ſolum mœchari dicatur, qui libidinem implet, ſed & qui ſimulacrum facit & idolum colit, ſitq;

*Legis, Non mœchaberis efficacia.*

*Adulteriũ nullum ferè impunitum.*

*Modeſtia ſub præcept. nõ mœchab.*

*Adulteriũ ſpirituale.*

ſitq; diuortij cauſa iuſtiſsima, vt adulterium. Eo lapſu Salomon à domino diuertit, & ad idola conuerſus vtrobique mœchatus eſt. Vidit præuaricatrix Iuda ſoror eius, quia pro eo quod mœchata eſſet aduerſatrix Iſraël dimiſiſſem eam dicit dominus: & paulò pòſt, Et mœchata eſt cum lapide & ligno, id eſt cum idolis: quod adulterium ſpirituale eſt, vt in cap. non ſolum. 28. q. 1.

MODESTIA etenim, quæ hac diuina lege indicta eſt, latiſsimè patet. hanc Græci vocant σωφροσύνην, vt cupiditatum moderationem. Illa profert partes maximas: quas, conſultore Tullio, ſequemur, ſi nimias libidines honoris, pecuniæ, ſimiliumq; rerum repellamus: ſi vnuamquanque rem certo naturæ termino præſcribamus: ſi denique, quod cuique ſatis eſt, & pro modo ſingula ſtatuamus. Habet illa cum temperantia id commune, vt ſit, eodem dictante, rationis in libidinem, atque in alios non rectos impetus animi firma & moderata dominatio. Exhibet continentiam, clementiam, abſtinentiam, & poſtremò ſtabilem autoritatem comparat. Hanc quidam diuinam vocant, vt Claudius Poëta: Iſæus eius officia diuina dicit: Alij virginalem: alij æquam: alij virtutem abſolutiſsimam dixerunt. Inter omnes hactenus conuenit hanc eſſe ſolam rectè & officiosè viuendi rationem. Ariſtoteles lib. ij. magnorum moral. cap. primo & ſecundo, hanc cum æquitate confert: præfert autem in eo, quòd quum æquitate & modeſtia legis iuſſa moderemur, aut diminuamus iudicando: modeſtiæ officio à legiſlatore omiſſa expendimus, & quæ ſuppleri poſſunt dictamus: quiq; talia cognoſcit, modeſtus eſt: qui verò

*Modeſtia cõmendatio.*

*Modeſtia ex Ariſtotel.*

agit,modeſtus & æquus eſt. Idem Ethicorum libros decem conſcripſit,Politicorum octo, Oeconomicorum duos,& magnorum moralium totidem:in hisq́; humanæ vitæ rationem , tam circa publicas functiones,& ordinem politicæ diſciplinæ,quàm familiarem ritum & œconomicum expreſsit:moresq́; docuit,qui deceant,& qui non deceant,quæ pars ethica fuit:adeo, vt ſiue de indecenti vitando,aut voluptate coërcenda agatur , ſiue de honeſto deligendo , nihil omiſiſſe videatur. Quo in opere cùm nihil aliud magis egerit, quàm certiſsimis formulis & facie quadam ſpeculari virtutem & honeſtatem exhibere,Id obtinuit ſuo ordine euolutis modeſtiæ partibus. Cicero de ſuæ Philoſophiæ libris tres officiorum argumento dedit,quibus viſus eſt cuilibet detraxiſſe confusè & incontinenter viuendi voluntatem, vtile, honeſtum , decorum, & alia laudabilia cum repugnantibus conferendo : nulla tamen re id magis aſſecutus eſt,quàm modeſtiæ identidem commendatione : quæ certè ab officij ſignificatione non mihi videtur longius abeſſe. Hoc enim ab efficiendo dictum rectè Grammatici ſentiunt,ea cauſa,quòd quæratur,quid vnumquenque efficere conueniat pro conditione perſonæ. Et in bonam partem , vt dicunt, ſemper profertur, vt apud Terent.in And.

*Modeſtia ex Cicerone.*

*Officiũ quid.*

*Hæc ego putabam eſſe omnia humani ingenij*
*Manſuetiq́, animi officia.*

Cicero apertius de finibus bono.& malo. Eſt,inquit, officium, quod ita factum eſt,vt eius facti ratio probabilis reddi poſsit. Et paulò pòſt. Quod autem ratione actum eſt,id officium appellamus. Nemo negabit

gabit quasdam esse iniurias,quæ ab his, qui recipiunt, honestè dissimulari non possunt, cùm aut honori, aut famæ detractum est: fiet igitur, vt vindictæ ratio probari possit,officiumq; dicatur expedisse, qui vltus est: consilio Platonis,qui lege docuit iniuriam neque ferendam, neque inferendam, & ad id sunt versus Möschionis antiqui Poëtæ,

*Modestia amplior officio.*

*Iniuriam verò sibi illatam sustinere*
*Omnium esse maximum inter homines onus.*

Modestia erit in eo commendatior, quòd soleat ferre & tegere incommoda, iniurias, contumelias. Vir enim modestus,sapiens & cordatus nulla iniuria perturbatur, cùm illam inferre turpe sit, pati autem modestum. Quemadmodum enim,vt disserit Aristotel. primo Oeconomicorum,quædam artes distinguuntur,nec est eiusdem fecisse,ac facto vti:vt qui liram ac fistulas componit; canendi sæpe imperitus est. Tum vt differre videtur cantus ipse exauditus ab arte musices:oratio bene culta à rhetorica ipsa:iudicium legitimum à lege: Sic officium à modestia:quòd illud sit factum secundum modestiæ regulas expeditum: hæc verò speculum sit rectè viuendi:hæc facies picta,vnde facta honesta constituuntur: formula præscribitur, vnde modus viuendi exquirendus est: Illiberalitas, probrum,turpitudo,indignitas comprimuntur:&,ex Varronis sententia, non is optimè vixisse dicendus est, qui diutissimè vixit, sed qui modestissimè. Illa enim à modo denominata est, qui rerum omnium vtilissimum omnium iudicio est:eoq; in omni negotio vtendum, cùm præsertim, vt de officio scripsit Tullius,prorsus nihil est,neque publicis,neque priuatis,

*Modestia quo differat ab officio.*

*Modus ad modestiam.*

tis, neq; forensibus in rebus, neque si tecum agas, neq; si cum altero contrahas, quod illo vacare possit: in eoq; colendo sita est vitæ honestas, & in negligendo turpitudo. In summa actus humani nulli sunt, qui certo velut modulo non concludantur. Suus cuique rei modus est: etsi de cædendis hostibus agatur, aut atrocius quid fiat iuregentium introductum, natura tamen dictat id modestia non vacare. & in omnibus, vt laudabile est definitè, modestè, continenter, sobriè agere: Ita spurcũ, dedecorum, & traductione dignum, effusè, intemperanter, & extra modum diffluere & luxuriari. quod his versibus eleganter & succinctè descriptum est:

*Modestiam etiam sæuis adhiberi.*

*Miscuit omne nefas, quem nulla modestia terret,*
*Optati compos dum studet esse sui.*
*Non decus auertit, non lex, diuumq; potestas:*
*Egit præcipitem cæcus ad omne furor.*

*Modestiam suam habet voluptas.*

Hoc nempe sexto præcepto, Non mœchaberis, conclusa est naturæ modestia & honestas, quæ in humanis negotijs, tam voluptuarijs, quàm cæteris, siue in factis, siue in dictis, & summatim in omni parte vitæ colenda est. Quòd si aliqui se ab huius regulis efferunt, luxuriari propriè dicuntur, & profusio id genus, luxus denominatur: factumq; inde productum vt falsum, & non secundum legem adulterinum dicimus: quemadmodum & clauem adulterinam, nummos adulterinos, vt Cicero, Adulterinos, inquit, nummos accipit imprudens pro bonis. Adulterat item, qui artem sinceram corrumpit, vt idem in Lelio, simulatio, inquit, vitiosa tollit iudicium veri, idq; adulterat. In specie, etiam si corporis voluptas non satis digna sit

*Adulterinum pro falso.*

ſit hominis præſtantia, cuius ſuprà mentionem feci-
mus,eamq́; ſi non reijci,at certè contemni deceat, con
cedamus attamen voluptati aliquid eſſe tribuendum, *Voluptatis modeſtia.*
nemo certe erit, qui neget eius fruendæ modum eſſe
tenendum, cauſamq́; non abijciendam, quæ nos im-
pellat ad coniunctionem appetendam, vt procrean-
di, familiam & nomen conſeruandi: Idq́; continen-
ter, pudicè, & cum ritu nuptiali à iure gentium con-
ſtituto, retentaq́; in voluptate modeſtia & certitudi-
ne coniugij: alioqui,ſi promiſcuè fluimus mollitia,&
in incertum appetitu obruimur, nihil erit, quod poſ-
ſit inter nos & beluam intereſſe. Abſolutorium eſt
ex lege diuina, vt qui cœlibatum ſequi nolint, matri-
monio, non voluptati, obligentur: cauereq́; debent
intemperantiam,& meminiſſe modeſtiæ,verecundiæ,
& honeſti: alioqui mœchantur contra Deum & le-
gem naturæ.

AD HAEC ratio victus maximè eſt neceſſaria,vt *Victus ratio.*
modum ſuum teneat:& cùm ad vires & valetudinem
corporis referatur, non ad luxum & ad voluptatem,
bono iure manducones iſtos ingluuie ſua luxuriari,
non viuere dicendi ſunt. Inſuper circa cultum cor- *Cultus corporis.*
poris, luxus aut decor maximè verſatur: & vt turpe
eſt homini in dignitate conſtituto abiectè & obſole-
tè veſtiri, cùm, vt ſolebat Socrates dicere, corpus, vt
decet, componendum eſt & præparandum: Ita &
prorſus indecorum eſt, profuſè eo vti cultu, & pro-
priè is luxus dicitur: quem maximè euitandum natu-
ra & ratio dictant: præſertim cùm effœminatè coli-
tur. Dignitas etenim viri ea eſt, vt grauiter & ſeuerè
reijciendum id curet, quod ſecum eſſet cum fœmina

commune,cui venuſtate ornatus non viro dignus relinquendus eſt. Huic autem,ſi vir eſt, Democriti ſententia,conuenit habere curam animæ non corporis.

*Ludi ratio.* PRAETEREA, licet ludendi genus leuius ſit, quàm vt hominem deceat, ad ſtudia potius grauiora & ad ſeueritatem natum,illo tamen ſi eſt vtendum aliquando, vt certè eſt, id modeſtè, iucundè, & ad laxamentum, prout quiete & ſomno; non animosè, ne quid committas in præceptum ſecundum, Non aſſumes nomen Dei tui in vanum : ne inſuper conſtrependo rixam contrahas,non profusè ne inde in turpitudinem aliquam dilabaris, non auarè ne flamma lucri cò te præteruehat , vt concupiſcas rem proximi tui: non ſine delectu perſonarum,ludi, loci, & temporis.

*Venandi ratio.* Venandi præterea oblectamentũ modum ſuum habet ex venantis qualitate, & alijs circumſtantijs, quæ delicias id genus adeo variant,vt quæ in alio tolerantur,ſintq́; laudabilia, alium certè nihil deceant: ſed ille videatur magis luxuriari,quàm modeſtè agere.

*Ioci ratio.* INSVPER conuitiandum nullo modo eſt.Quod ſi aut iocandi cauſa,aut caſtigãdi id fiat,turpitudinem non habet:cùm ioci feſtiuitas & lepor ſæpe arrideant his,quos facetè dictum contingit. Oportet tamen id iucundè, ingenuè, & remiſſo animo fieri: quod ſi petulanter,obſcœnè & ſcurriliter actum ſit, luxuriatum erit. Denuo caſtigatio modeſta laudabilis eſt : ſed ſi miſceatur contumelia, illiberalis eſt, & qui libidinem explet famam alienam deterendo luxuriari videtur.

CESSABO præfari ſi adiecero,quæ nemo negabit, præclarum eſſe & maximũ in omnibus rebus ſe continentem, modeſtum, & temperantem gerere, conſi-

derareq́;

derareq; temperantiam non tantum iucunda nõ imminuere, sed augere magis, & voluptates reddere gratiores: Idq; solebat Democritus dicere. Et cùm in homine sint præcipui motus, lucrum, ira, voluptas, dolor, molle & effœminatum est his nescire modum dare: obscœnum & turpe in his luxuriari & modum prætergredi. Natura etenim certas regulas à Deo Opt. Max. viua voce datas habet: quas ius gentium non tam firmauit, quàm excepit, hisq; nos obsequi voluit. Et alioqui sine iussu, sine scripta lege debuit sufficere nata lex, dignumq; fuit id per nosmetipsos, natura suggerente, audire, arripere, exprimere. Cumq; tam certo & facili modo omnia conclusa sint, fœlicissima vita futura est, si hunc modum, si hanc naturæ legem humana ingenia nouerint: si colant: si sequantur: fietq; proculdubio, vt viuant cum maiore voluptate, & minori periculo. Sed hæc est in omni re animorum conditio, vt mœchari, & cuncta legitima & honesta adulterare malint, quàm rectè assequi. Lucrum etenim, quod nos motuum primo loco adscripsimus eatenus ab homine quærendum est, quatenus gloriam & honorem & salutem non imminuat, sed augeat illa, non pecuniam aut facultates proximi offensa. Nam, vt sentijt Cicero, si vnusquisque nostrum ad se rapiat aliorum commoda, & emolumenti aut voluptatis suæ gratia detrahat, quod alienum est, dirumpi necesse est eam, quæ maximè est secundum naturam, humani generis societatem. Iure etenim gentium dominia distincta sunt, agris termini positi, & in vsum data vocabula, meum & tuum, quæ violare nefas est: inde à domino dictum est, furtum nõ facies:

*Natura præcipui motus.*

*Naturæ lex qua modestia sequenda sit.*

*Modestia circa Lucrum.*

*Modestia circa Iracũdiã.* item &,Non concupiſces domum,&c.Iracundia autem non aliter te mouere debet, quàm cum malefactore agitur, & quàm cum teipſo cuperes alium ſe gerere: nam id natura præſcripſit, vt homo homini (inquit Tullius idem) quicunque ſit,ob eam cauſam, quòd is homo ſit,conſultum velit:vnaq; continemur omnes,& eadem lege naturæ violare alterum prohibemur.Inde exijt ſummum illud pręceptum,quo nullum aliud amplius aut maius dominus edixit:Omnia quæcunque volueritis,vt faciant vobis homines,ſic & vos facite illis. Hæc enim eſt lex & prophetæ. In iucundis autem ſiue voluptatibus homo ſibi temperabit,ſi ſecum reputet,quã ab eo alienum ſit, quàm non ſecundum naturam & excelſitatem animi ſui,magnitudinemq; eius dignitatis his voluptatibus ſeruire,luxuria & mollitia liqueſcere: quamq; ſit dulce, voluptuoſum, honeſtum, his motibus imperare: quamq; excellens & ſeuerum,hos vincere. Et inde certè pendent voluptates,non ex ſocordi vita,non ex luxuria, aut epularum helluatione,cùm ex his dolores repente fiant,& inde mortes repentinæ,aut aliæ languidulæ & miſeræ: ex illis autem gaudia, robur, vires, & ſalubria quæcunque diuturna. Diogenes ſolebat iuuenes, quos nouerat obſonijs ac luxui plus æquo indulgere hoc Homerico verſu admonere:

*Modestia circa Volupt.*

*ὠκύμορος δή μοι τέκος ἔσσεαι*
*Nate mihi fueris breuis æui.*

PERSEQVAR igitur ſingula, conferamq; ad ius commune:non omiſſurus,quæ occurrent,& quæ appoſitè huc inferri poterunt,idq; quàm breuiſsimè fieri poterit,exequar.

NON



# NON MOECHABERIS,



## LIBER PRIMVS.



MOECHARI, aut mœchiſſare adulterare eſt: mœchuſq; adulter dicitur Plaut.in milit. *Mœchari.* *Mœchiſſare.* *Mœchus.*

*Herus meus ita magnus eſt mœchus mulierum,*
*Ut neminem fuiſſe æque, neque futurum credo.*

Delictum id genus Græci μοιχείαν vocant,nos adulterium, quod licet pro meretricio tantum, quod cum nupta,aut innupta,ſi vxorem ſcortator habeat, committitur, vſurpare ſoleamus, verum eſt tamen,Deum Opt.Max.cum id protulit,Nō mœchaberis,omnem illicitum concubitum,id eſt non vxorium,atq; etiam membrorum illorum illegitimum vſum prohibuiſſe: Alioqui nulla decalogi lex eſt, qua ſimplex impudicitia & fornicatio reprobetur. verba ſunt Auguſtini in c.meretrices.32.q.4.& alibi Iſidorus in c.non mœchaberis.32.q.5. Non mœchaberis, inquit, id eſt, ne pręter matrimonij fœdera fœminis admiſceare ad explendam libidinem tuam. *Mœchia.* *Nō mœchab. cōtinet omnē ſpurcitiem.*

ETSI à domino inſtitutum ſit coniugij ſacramentum & indiſcriminatim ille maſculum & fœmi- *Matrimonij ineundi certa ſunt leges.*

nam coniunxit, voluit tamen delectum adhiberi, neque passim, neque ab omnibus, neque cum omnibus id fieri: eumq́;, qui sine eo delectu coniux factus est, mœchari, & matrimonia huiusmodi incesta, stuprosa, & contra legem Dei & naturæ contrahi. Quod & lex ciuilis decreuit pœnis quibusdam adiectis in eos, qui aut errore aut ætate non excusantur. l. qui contra. C. de incest. nupt. Edictum de nuptijs prohibitorium est: & consequitur, vt hij, quibus non interdicitur, nec vlla lege repelluntur, has possint liberè inire: vt in simili dicit text. in l. prima. ff. de testib. & nuncupatim de nuptijs in l. vxorem. C. de nupt. & apertius in c. qui spiritualem. 30. q. 4. & in c. cùm apud sedem. de sponsal. & matrimo. Et vicissim, si contra leges & interdicta nuptum est, e uestigio mœchatum est. In noxas has datæ sunt pœnæ tam lege diuina, quàm ciuili, d. l. qui contra. & l. lege Papia. ff. de rit. nup. Accusari item stupri, aut adulterij possunt, qui nuptias vetitas inierunt. l. libertum. C. de nupt. iuncta glo. in verbo, Accusare poteris. & Paulus ad Plautium, si quis, inquit, ex his, quas legibus, aut moribus prohibemur vxores ducere, duxerit, incestum dicitur commisisse. l. sororis. §. fin. ff. de rit. nupt. huius pœna paulò maior est, quàm adulterij: c. veniens. de eo, qui cogno. consang. vxo. suæ. Et ideo olim ne in confusum nuberetur, Græci non temerè certos magistratus vtriusque sexus ordinauerunt, qui nuptijs præessent: hijq́; clam quibusdam sortitionibus id agebant, vt quantum fieri poterat similes connuberent, mali cum malis, boni vicissim cum bonis commiscerentur: & inde nulla vnquam matrimoniorum querela audiebatur: cùm

*Nupt. edict. prohibitoriũ.*

*Magistratus nuptiales.*

fortuna magis, quàm magiſtratus rei cauſam dediſſet, vt refert Plato de natura.

VIDEAMVS ergo, quas coniunctiones vetuit lex: Inde enim conſequetur, vt cæteræ, quæ iuſtæ ſunt, in promptu ſint.

PRIMO, Infans, ſiue maſculus, ſiue fœmina matrimonium contrahere nullo modo poteſt: ſiue fiat inter duos infantes, ſiue alterum puberem, & alterum infantem, ſiue parentes pro ipſis id pacti ſint. text. eſt in c. vnico. in prin. de deſponſat. impub. lib. vj. in c. literas. in c. acceſſit. extra. eo. tit. c. iuuenis. de ſponſalib. c. j. & c. non eſt. 30. q. 2. Infans dicitur, qui ſeptennio minor eſt, prout interpretantur Imperatores in l. ſi infanti id eſt minori VII. annis. C. de iur. deliber. Cùm enim coniunctionis huius ſacramentũ conſenſu maximè nitatur, l. nuptias. ff. de regul. iur. & d. c. primo. 30. q. 2. ſitq́; naturale ætatem illam adhuc immaturam omnia ferè ignorare, & conſenſum non habere, l. mulier dotem. ff. de verb. oblig. & l. prima. C. de falſ. monet. nõ poteſt valere, quod tam precoci errore actum eſt: imo etiam temporis tractu nõ conualeſcit: oportetq́;, aut nouo conſenſu, aut facto ipſo & verbis rem ex integro repeti. d. c. vnico. de deſponſat. impub.

*Infans matrimonij incapax.*

*Infans quis ſit.*

SECVNDO, Inter impuberes, ſeu pueros, id eſt, ſeptẽnio maiores, ſed minores, ſcilicet maſculũ XIIII. annis, & fœminam XII. non poteſt conſiſtere matrimonium, l. minorem. ff. de rit. nupt. c. puberes. de deſponſat. impub. & c. vnico. eod. titu. lib. vj. etiam ſi per verba quantumuis legitima id contractum ſit, c. tuæ fraternitati. de ſponſal. & matrimo. & c. vbi non eſt conſenſus. de deſpon. impub. Controuerſum fuit inter

*Impubes nuptiarum incapax.*

ter

*Impub. viri capax an sit iusta vxor.* ter Ioan.& Azo.antiquos glossarum autores,an possit videri iusta vxor ea,quę ante annum duodecimum viri capax est. Ioann.opinio fuit, non videri, Quod ætas legitimum sit impedimentum: idq; etiam inter habiles actum obstruit ad instar cognationis impedimenti. Sed Azo contrà sentijt per l.continuus.§. cum ita. ff.de verbo.obligatio. & hæc est prima limitatio. SECVNDA est,si puberes facti simul habitent: matrimonium enim eo casu conualuit c.duo pueri. de desponsat.impub.adeo, vt credendum sit id magis in pendenti esse, & in tempus id pubertatis moras prorogare, quàm prorsus nullum esse: idq; ex eo fit verisimile quòd ante pubertatem neuter potest persequi aut obtinere diuortium altero inuito: sed expectanda pubertas.c.à nobis.eod.tit. Quod si alter iam pubes factus ab altero, qui nondum pubuit, separationem velit petere,non auditur. c.de illis.ij. & c.fi. & c.puberes.illo tit. Idem erit,si,cùm contrahitur, alter est impubes & alter pubes: quia quoad puberem efficax est, teneturq; negotium differre in tempus pubertatis alterius: qui pubes factus optare poterit vtrũ velit,connubiũ sequi,aut ab eo discedere.d.c.de illis.ij.

*Impuberum nuptiæ quomodo conualescant.*

*Impub.alter pubes factus nõ diuertet.*

POSTREMO, Auditur maritus pubes, si sponsam recens puberem factam & diuortium optantem retinere velit,asserẽs illam ab eo carnaliter cognitam, c.continebatur.de sponsalib.& matrimo.

*Senectus nuptias impedit.* TERTIO lege Papia Poppea fœminis quinquagenarijs & masculis sexagenarijs connubia prohibita sunt.l.sancimus.ij. C.de nupt. Ea enim lex Papia Poppea matrimonijs modum & formulam præscripsit, huiusq; meminit Imperator in d.l.sancimus.& in l.fi.

in l.fi.C.de nupt.Iuriſconſultus hanc vocat Iuliam in l.lege Iulia.ff.de rit.nupt.quæ certè Papia Poppęa eſt. Tranquillus in Claudio Cæſare. huic lege caput à Tiberio additum dicit, quo ſexagenarij, quod generare non poſsint, à nuptijs arcerentur, huicq; capiti abrogaſſe Claudium. Quo in loco Pompeiæ loco Papiæ Poppeæ diu corruptè lectum eſt. Quæ lex ratione non caruit. Primò, quòd cùm omni ætati luxuria turpis ſit, tum ſenectuti fœdiſsima eſt, vt inquit Cicero. Secundò, quòd huius ætati coniuges cauſam exhibere non poſſunt, quæ matrimonij præcipua eſt, ſobolis ſcilicet procreandæ. Mulier enim niſi prodigiosè poſt annos quinquaginta parere amplius non poteſt. l.ſi maior. C.de legit.hæredib. Viro (inquit Ariſtoteles) nec in prima ætate, nec in ſenectute, neque in morbis ſemen eſt. Carent hoc ægri propter imbecillitatem: ſenes, quia non ſatis eorum natura poteſt concoquere: ſeueri, propter incrementum. Sed hodie permittuntur connubia id genus, valuitq; hactenus Claudij Cæſaris abrogatio: illamq; Iuſtinianus Imperator repetijt in d.l.ſancimus. Id tamen eatenus creditum eſt obſeruari iure pontificio, quatenus ſuadet ſenis vigor & generandi facultas: vt ſi poſsit generare, bene eſt: alioqui non valeat matrimonium. Quæſitum eſt, inquit Vlpianus, an is, qui generare facile non poſsit, poſthumum hæredem poſsit facere? Scribunt Caſsius & Iabolenus poſſe: Nam & vxorem ducere poteſt. l.Sed & quæſitum eſt. in prin.ff.de lib.& poſthu.obſeruanda enim ſunt verba hæc, Qui generare facilè non poſsit: Ergo, ſi prorſus non poſsit, contrà eſt. Nam difficilè nihilominus

*Mulier quinquagenaria nõ parit.*

*Senectus qua matrimonium impedit.*

poſsibile eſt, l.continuus.§.inſpiciendum. ff.de verbo. obligatio. Ideo in homine natura generandi & conſuetudo magis ſpectanda eſt, quam temporale vitium, aut valetudo, propter quam homo abdicatur à generandi facultate: verba ſunt Iuriſconſulti in l. ſi quis poſthumos, in prin.ff.de libe.& poſth. Succurrit regula c.ex literis.& c.quod ſedem.de frigid.& malef. ſicut puer, inquit pontifex, qui non poteſt reddere debitum, non eſt aptus coniugio, ſic, qui impotentes ſunt minime apti ad contrahenda matrimonia reputantur. de his plura ſcripſit Criſtofor. Porc. in §.j.inſtit.de nupt.

*Eunuchus matrimoniũ non contrahat.*

QVARTO, Eunuchus maritus iuſtus eſſe non poteſt, isq́; bono iure, ab hac ſocietate, cauſis ſepe repetitis, quas nulla ex parte præſtare poteſt, exploſus eſt.c. ij.de frigid. & maleficiat. Idq́;, cum prorſus caſtratus eſt d.l.ſed eſt quæſitum.§.ſpadonem. Spadoni teſticulus unus ſupereſt, quo facilè generare poteſt: dicit tex. in l.Pomponius.in fin.ff.de ædilit.ædict. & Accurſ.in gloſ.in verb. poſſè. in d.§. ſpadonem. caſtrati autem nullus eſt: Ideo Vlpianus in l.ſi ſerua.§.fina.ff.de iur. dot.ſi ſpadoni, inquit, nupſerit mulier, diſtinguendum arbitror, caſtratus ſit, necne: vt in caſtrato dicas dotem non eſſe: in eo, qui caſtratns non eſt, quia eſt matrimonium, & dos eſt, & dotis eſt actio. ſimilis eſt tex.in l.ſinautem quis ita ſpado. ff.de ædilit.ædict. Ius ciuile huiuſmodi matrimonium improbauit, permiſitq́; diuertere. Canones non ita: ſed tantum, ſi alter alterius vitiũ ignorauit. Quòd ſi preſcierit, niſi utroq; petente aut conſentiente diuertendi gratiam non fecit.c.conſultationi.de frigid.& malefic. Si etenim non

*Spado quis ſit.*

poſſunt

possunt viuere vt coniuges, viuant vt fratres.

QVINTO, Frigidi aut malo omine affecti in eo numero sunt: & id vitium, siue natura, siue detestatione acceptum sit, causa iustissima est diuertendi, iure eo pontificio. c. j. & c. fi. de frigid. & malefic. Et quia lex ciuilis talia vitio temporali detulit, noluit eapropter connubium disturbari. l. si quis posthumos. in princ. ff. de liber. & posth. tamen si coëundi impotentia triennio duret, neq; spes imbecillitatis emendandæ arrideat, diuortium eo iure probatum est. l. in causis. & auth. sed hodie. C. de repud. *Frigiditas matrimoniū impedit.*

SEXTO, Fœmina, quę naturali spatio adeo iniquo est, vt arcta dicatur, iusta vxor esse non potest: & ab ea liberè diuertendi ius habet, qui congredi non potest. c. fraternitatis. de frigid. & malefic. circa id tamen puto repetendum, quod quarto numero subscriptum est, necessario huic coniugio stari, si scienter acceptum est. d. c. consultationi. & has si non uxores, at certè ut sorores habeant. *Fœmina arcta non est iusta cōiux.*

SEPTIMO, Licet cum leproso valeat pactio connubialis, neq; lepra in matrimonium incidens tribuat causam diuertendi. c. quoniam nemini. de coniug. lepro. tamen si matrimonium pacta sit fœmina ignorans, aut post pactum inciderit morbus, se à nuptijs excusare potest & à iureiurando abire impune. c. literas. eod. titu. *Leprosus an iustus sit maritus.*

OCTAVO, Cum furioso iustæ nuptiæ uideri non debent. l. si furiosi. C. de nupt. & c. dilectus. de sponsalib. & matri. filij tamen aut filiæ, etiam si sint in furiosi patris potestate, eius autoritate non expectata, liberè matrimonium contrahunt, d. l. si furiosi. id tamen fuit *Furiosus matrimonij incapax.*

abſoluendum cum paterni curatoris autoritate. d.l. furioſi. & §.vnde quæſitum eſt. inſtitut.de nupt.quod correctum dicit gloſa in verb.ſecundum. ibidem arg. de voto monaſterij ad matrimonium, ex §. nullum. & §.ſancimus.de ſanctiſs.epiſcop.Muti autem & ſurdi poſſunt, cùm expreſsè interdictum his non eſt. c. cùm apud ſedem. de ſponſal.& matrim.tum, & quia contractus is conſenſu maximè conſiſtit.l.nuptias.ff. de reg.iur. & hi conſenſum facilè preſtant.l.mutus & ſurdus.ff.de procurat.

*Mutus & ſurdus mariti fiunt.*

*Nuptiæ ſine Patris conſenſu nullæ.*

NONO, Olim reſponſum eſt nuptias nullatenus ſubſiſtere,niſi conſentierint,qui coëunt, & hi; in quorum poteſtate ſunt.l.nuptiæ conſiſtere non poſſunt.l. eos.in princip.& l.qui in prouincia.ff.de rit.nupt.& l. Paulus.ff.de ſtat.homi.& l.ſi vt proponis. ſecundo & l.nec filium.C.de nupt. Imo neq; ſpondere per verba de futuro potuerũt.l.ſponſalia ſicut nuptiæ.ff.de ſpon ſal.Ius pontificium id non admiſit, ſed abrogatis his legibus filiorum aut filiarum conſenſum ſufficere voluit, etiam ſi parentes non conſentiant: imo etiam ſi diſſentiant.c.requiſiuit.& c.cùm locum.de ſponſal.c.j. de deſponſ. impub.c.hoc ſanctum. & c.ſufficiat.32.q. 2. Quibus ſtandum erit, cùm matrimonium non à lege ciuili, ſed à canone formulas ſuas accipiat.c.hinc diſtinguendo.2.q.2. Veteris iuris id tantum hodie retentum eſt, vt filia ante viceſimum quintum annum non debeat,niſi parente conſulto & conſentiente,nubere: alioquin, vt malè morigera, poteſt exhæredari, ſiue à patre, ſiue à matre: auth.ſed ſi poſt.C.de inoff. teſta. Idq; quibuſdam in prouincijs ſtatuto nominatim cautum eſt: vt apud Burbonios.§.cccxij.vbi quædam

*Filia ſine parente nubẽs ante XXV. ann.ingrata eſt.*

dam in rem hanc ſcripſimus.

DECIMO, Tutoris aut curatoris, aut eorum filij cum pupilla aut adulta nuptiæ iuſtæ non ſunt, vt à lege reprobatæ.l.ſi tutor vel curator. C.de interd.matrim.quod tamen tribus caſibus licuit. Primo, ſi pater teſtamento ita iuſsit & ordinauit. l.tutor vel curator. ff.de rit.nupt. & l.qui pupillam ſuam. ff.de adult.in fi. ibi, non à patre deſponſatam, vel deſtinatam, vel denominatam. Secundò, ſi princeps id indulſerit. l. ſi tutor. C. de interdict. matrimo. vbi Accurſ. in gloſ. Tertiò, ſi poſt viceſimumquintum annum pupillæ exactum, & redditis rationibus tutelaribus.l.ſi patris.C.de interd.matrim.& l.non ſolum. §.ſed & ſi filiusfamilias. ff.de rit.nupt. Et præter hos caſus non poſſunt tutor, curator, aut eorum filij adultas habere vxores.l.non eſt matrimonium.illo tit. Quod in filia tutoris aut curatoris verum non eſt:hanc enim utriq; licet cùm adulto ſuo aut pupillo collocare. l. libertum.§.fin.ff.eod.tit.& l.curatorem.C.de interd.matrimo. Adulta autem, vt volet, poteſt nubere etiam ſpreto curatore, cuius officium in adminiſtratione negotiorum conſiſtit, non in perſonæ.l.ſciendum.ff.de rit. nupt. & l.in copulandis.C.de nupt.modò tamen vis, aut raptus etiam in volentem abſit: quia talia acerrimè animaduertuntur. l.vnica.§.etſi quidem. ibi, nulli mulieri ſiue volenti, ſiue nolenti peccandi locus relinquetur: quia hoc ipſum velle mulierum, ab inſidijs nequiſsimi hominis, qui meditatur rapinam, inducitur.

*Tutor aut Curator cũ pupilla aut adulta quãdo nubat.*

*Curator filiam ſuam cum adulto collocare poteſt.*

*Adulta ſpreto curatore nubit.*

*Rapta à curatore etiã volens.*

VNDECIMO, In prouincia, magiſtratum gerens in ea vxorem ducere non poteſt, neque filio ducenti conſentire: l.ſi quis officium.& l.qui in prouincia. &

*Magiſtrat. in prouincia vxorem non ducat.*

l.ſenatuſconſulto. ff.de rit.nupt. & l.etſi contra. C.de nupt. filias autem collocare non prohibetur. d.l.qui in prouincia.& l.ſi quis officium.

*Vis in matrimonio quàm odioſa.*

DVODECIMO, Cùm in omnibus negotijs vis prorſus odioſa ſit, tum maximè in connubijs, quæ liberè fieri debent: nulloq; metu,aut perſonarum,aut pœnæ tentari. Si igitur vis adfuit, cauſamq; dederit ſpondendi, nihil actum eſt: l.nec filium. l.neque ab initio.2.C.de nupt.& l.ſi cogitur. & l.ſi patre.ff.de rit. nupt. Imò promiſsio nuptiarum facta ſub pœna, etiam ſi liberè & ſine vi, nullius eſt momenti. d.l.neque ab initio. Canones id probarunt: c.gemma.de ſponſ.& matrimo. & c.cum locum non habeat.eod. tit. Hoc tamen addito moderamine, vt ſi,quæ inuita nupſit, ſponte cum marito habitet, conualeſcat matrimonium.c. ad id.eod.tit. Nec cogitur mulier inuita connubio ſtare, poteſtq;, quando volet, modo conſenſu tacito id ratum non habuerit, diuortium perſequi: & pendente quæſtione ſi maritus vi certet, ſiue quæratur de excuſandis ſponſalibus, ſiue de nuptijs, iniquis proferendis, poterit iudex iubere fœminam cuſtodiri in domo honeſta,& apud matronam quam honeſtam compererit:& interim liberè inquiret. Nec ferendum erit, vt marito liceat fœminam adire,& à formidoloſa conſenſum,vt facilè eſt,vi,aut minis,aut artificio,& calliditate extorquere. d.l.vnica. in fi. C.de rap.virg. præclara eſt cenſura huius in d.c. cùm locum non habeat.de ſponſal. & matri. Matrimonium enim ſolo conſenſu perficitur, ſed eo quidem non ingrato, cùm oporteat ex ſententia rem omnino collibere & acceptam eſſe.alioqui conſenſus non

*Vxor coacta quãdo fit iuſta vxor.*

*Sponſa quando ſequeſtranda*

*Conſenſus matrimonij qualis eſſe debeat.*

non eſt: nec ergo matrimonium, ſed magis adulterium, contubernium, ſtuprum, aut fornicatio: verba ſunt pontificis ad Africæ epiſcopos in c. Aliter legitimum non ſit. 30.q.5.verum autem primum, verum igitur poſtremum. Tantum etenim in matrimonio valet conſenſus, vt ſi duo certent de habenda vxore, ſitq́; res dubia teſtibus hinc inde auditis, vxor ei danda eſt,quem illa maluerit & in quem conſenſerit,arg. l.viduæ. §.primo.ibi, is potior exiſtimetur, quem ſibi conſulens mulier approbauerit:C.de nup. glo.prima. in c.in noſtra. poſt medium,in verſic.ſed quid,ſi duo. illo tit. Et licet in cæteris ferè negotijs is metus deſideretur, qui conſtantem virum poſsit mouere. l.metum. ff.quod met. cauſ. & in proprium caſum ſcriptum eſt in c.veniens. ſecundo de ſponſ. & matri.tamen cùm fœmina facilius moueatur, ſibiq́; conſtare non poſsit contra viri impetus, ſed leuitate deſultoria citô mutetur, æquum eſt: non adeo plenum metum in ea requiri, qui in viro requireretur,arg.c.indignantur. ibi, quanto magis deceat viros virtute & exemplo fœminas regere.32.q.6. glo.in d.c.cũ locum. & Iaſ.in l.interpoſitas.in princip. C.de tranſactio. & Boër.deciſ.100.numer.2. in prima part. Inſpicienda enim in his eſt perſonæ & metus qualitas, vt ſi ille ex ęquo omnibus vanus ſit, non attendatur. l.vani. ff.de reg.iur.ſi terrorem habeat, contrà eſt. d.l.interpoſitas. Fœminæ enim,etiam mediocrem metum paſſæ ſuccurritur.arg.l.plenum. §.equitij. ff.de vſu et habit.facit c.j. de his, quæ vi met.cauſ.fi.glo. in c.cum locum.de ſponſ.glo.in l.prima.C.vnde vi.

*Metus leuior in fœmina reſtituenda requiritur.*

TRIDECIMO, Inter ſeruum & ancillam iure ciuili

*Seruorum nullũ eſt matrimonium.*

uili connubium non eſt, ſed contubernium: l.cum ancillis.C.de inceſt.& inutilib.nupt. Contubernium enim cohabitatio,conſuetudo, & ſodalitas eſt, autore Feſto. Et ideo ſerui ob violatum contubernium ſuum adulterij crimine accuſari non poſſunt, quia non eſt matrimonium: verba ſunt tex.in l.ſerui.C.ad l.Iul.de adult. & cùm inter liberas perſonas tantum ſit matrimonij ius, ſic inter eos duntaxat exercetur adulterij accuſatio: vt dicit Papinianus in l.inter liberas. ff.eod.tit. Ius idem ciuile tamen admiſit, vt ſi vnus horum libertatem conſequatur, contubernium iuſti matrimonij vices aſſumit: l.fi. C.de nupt. Canones non diſtinguunt liberum à ſeruo. c.primo. de coniug.ſeruo.

*Contubernium.*

QVARTODECIMO, Liberi cum ancilla matrimonium iuſtum non eſt,nec poteſt contrahi lege Papia Poppea, quam in hoc ius pontificium ſecutũ eſt: c.ad noſtram. de coniug.ſeruo. facit l.Qui contra.C. de inceſt.nupt. Niſi tamen liber ſciens ancillæ conditionem illam pacto connubiali inito cognouerit. d.c.ad noſtram.alioqui,ſi ignorans,diuertere poteſt.c. propoſuit.de coniug.ſeruo. Error enim conditionis matrimonium impedit.c.ſi quis ancillam.§.his ita.29. q.2.idq; præcipuè verum eſt in conditione ſeruili,quæ matrimonium, niſi cum ſciente admittere non poteſt eodem iure: vt per tot.29.q.2. Eadem lege Papia non licuit ſenatoribus neque eorum filijs libertas ſuas habere vxores.l.lege Iulia.ff.de rit.nupt. & l.vxorem libertam ſuam. C.eo.tit. Neque etiam licuit liberto patronam ſuam. l.libertum. C.eo. Ea tamen omnia correcta ſunt.auth.ſed nouo iure.& l.fi.C.eo.

*Matrimonium liberi cum ancill. quando valeat.*

Quin

QVINTODECIMO, Scenicæ mulieres aut earum filiæ cum viris honestis nubere non possunt. l.imperialis.§.præsenti.C.de nupt. Fallit,Primò,si à principe id sibi concessum sit.auth.quòd eis.eo. Secundò,si dignitatem eam illæ consequantur, quæ posit notas scenicas eluere: eo enim casu restitutæ uidentur. d.l. imperialis.§.similes. Tertiò, si ad frugem se contulerunt.d.§.præsenti.Idq; postremum lex pontificia maximè probauit, etiam in publicis meretricibus: existimauitq;, inter opera charitatis non minimum esse, sed prorsus pium, & proficere in remissionem peccatorum, errantem ab erroris sui semita reuocare in viam: vt si à lupanari euocata vxor assumatur in matrimonium.c.inter opera. de sponsalib. & matrim.& c.non est culpandus.32.q.j. Infœlix vicissim vita futura est,& prorsus obscœna,nullaq; necessitate paupertatis expurganda, si vir lenocinij animo vxorem electam quæstuariam prostituat: vt dicit præclarus tex. in l. palam quæstum facere. §.non est ignoscendum. ff.de rit.nupt.ad hoc c.ita ne aliquem.32.q.5.

*Matrimonium honesti cum scenica aut meretrice.*

SEXTODECIMO, Qui eandem religionem non sequuntur inter se matrimonium contrahere non possunt, vt Christianus & Iudæa.lib.iij.Esdr.cap.viij. Nos in Dominum peccauimus,quòd collocauimus nobis in matrimonium mulieres alienigenas ex gentibus terræ.& rursus sequenti cap. Exurgens Esdras, vos,inquit, iniquè fecistis collocantes vobis in matrimonium mulieres alienigenas, vt adderetis ad peccata Israel. & ad id facit Apostolicum dictum: omne, quod ex fide non est,peccatum est. tex.est in c.omnes deinceps.§.non est putandum matrimonium. & c.ca

*Matrimoniũ inter diuersa religionis coniuges.*

d ue Chri

ue Chriſtiane Gentili aut Infideli filiam tuam tradere.28.q.j. Quæ vera ſunt,etiamſi orthodoxus cum hæretica, aut contra matrimonium paciſcatur. d.c.caue, ibi, hoc eſt, omnem hæreticam & alienam à fide tua accipere tibi vxorem. Imo etiam ſi inter duos infideles contractum ſit, quorum alter fiat Chriſtianus,diuortij cauſa iuſta eſt, Chriſtiano petente. Non ſic, ſi ex duobus Chriſtianis coniugibus alter fide excidat: quia nihilominus durat matrimonium. hæc diſponuntur in c. quanto. de diuort. Item iuſta erit vxor Iudæa Chriſti fidem edocta & conuerſa cum Chriſtiano: & econtra.c.j.de conuerſat.infidel.

*Vxor alij nupta duci ab alio non poteſt.*

DECIMOSEPTIMO, Vir non poteſt accipere vxorem alij deſponſatam & nuptam præſenti conſenſu: idq; omni tempore exoſum eſt. Claudius Cæſar Valeriam Neſſalinam in matrimoniū acceptam, cùm comperiſſet C. Silio prius nupſiſſe, dote inter aruſpices conſignata, ſupplicio affecit; & teſtatus eſt matrimonia ſibi malè cedere. Id vtrique coniugum vetitum eſt, noua Chriſti lege. Quicunq;, inquit ille Phariſæis, dimiſerit vxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam. & ſi vxor dimiſerit virum ſuum & alij nupſerit, mœchatur. Marc.x. præclarus eſt in rem hanc text.in c. omnes cauſationes.32.q.7. Quod ſi contra actum ſit,ideſt,vir alij nuptam, aut præſenti conſenſu deſponſatam acceperit; debet dimittere,& quadraginta dies cum aqua & pane algere, & ſeptem annos ſequentes ex pœnitentia

*Matrimoniū quando ſit perfectum.*

factum deplorare.c.accepiſti.de ſponſ.duor. Quæ vera ſunt,etiamſi, ſimplici ſponſione verbis præſentibus inita,matrimoniū ſit contractum: quia neuter ſponſorum

ſorum aliud matrimonium ſequi poteſt ſine adulterio ſtupro & ſcortatione.c.j.c.licet .& c.fin.de ſponſ. duor.cùm veri ſint coniuges: & ea hora,qua ſponſio facta eſt verbis de præſenti, concluſum & perfectum eſt matrimonium , etiam ſi vxor neq; cognita neque traducta eſt.l.præfectus.ff.de rit.nupt.l.fina. ff.de leg. primo.l.nuptias.ff.de reg.iur. facit arg.l.ij.ff.de priuileg.credit. Idem,etiam ſi vxor nunquam viſa ſit à viro: eum enim , inquit Vlpia.qui abſentem accepiſſet vxorem,deinde rediens à cena iuxta Tyberim perijſſet,ab vxore lugendum eſſe reſponſum eſt.l.deniq;.ff. de rit.nupt. Plenum etenim matrimonium eſt, quod conſenſu ſolo perfectum eſt, etiam ſine copula: idq; hactenus nos ſecuti ſumus ex lege Zenonis Imper. que eſt penultima. C. de inceſt. nupt. Aegyptij falsò arbitrati ſunt, quorundam legum interpretum ſententia, inter eos, qui corpore non conuenerant, contractas reipſa dici non poſſe nuptias: quod exploſum eſt.Forma ſpondēdi per verba de præſenti multiplex eſt: vt ſi ſe aſſerant inuicem,mutuo,& præſenti conſenſu eſſe coniuges:tum,etſi promittant ſe hacterius geſturos & habituros pro coniugibus: inſuper, ſi nomine connubij ſeſe oſculentur,dextras committant,& promittant nunquam cùm alijs cōiungi: hæc notantur in c.ex parte. per illum text.de ſponſalib.& matrim. Quod ſi promittant contrahere matrimonium, illud vulgò dicitur,per verba de futuro.c.ex literis.eo.tit. ſi tamen id pactum ſecuta ſit carnalis copula,eo caſu matrimonium eſt abſolutum.c.veniens. eod.tit.nec ſatis eſſet concubuiſſe & tentaſſe coire & non potuiſſe: quia neceſſaria eſt copula , vbi expreſ-

*Matrim. inter coniuges qui ſe mutuo non viderunt.*

*Matrimonij contrahendi formula.*

*Verba de futuro.*

ſus non eſt conſenſus.c.adoleſcens.eo.tit.vtroq; caſu, ideſt,cum præſenti conſenſu ſine copula nuptum eſt. Secundò, ſi per verba de futuro & ſequenti copula, nuptiæ iuſtæ ſunt: & quæ ita nupſit vxor iuſta eſt: ideo,ſi cum alio nubat,duorum erit vxor,& maritus viciſsim duarum vxorum maritus. quod turpitudine & infamia notauit lex ciuilis.l.neminem.C.de inceſt. nup.l.eum qui duas ſimul habuit vxores. C.de adult. & l.quid ergo.§.ij. ff. de his qui not. infam. Digami, aut, ſi plures habeant, poligami dicuntur: & eorum pœna ignominioſa eſt, vt in ſcalario ſuggeſtu mithellati collocentur: ibiq; plebeculæ laſciuientis ludibria perfricta fronte excipiant: vt diximus ad conſuetud.Burboni.§.ij.in gloſ. *eſcheller*.

*Digamorũ infamia.*

*Matrimoniũ cõtra interdictum.*

DECIMOOCTAVO, Si de matrimonio certatum iudicatúmque ſit inter virum & fœminam, & à ſententia prouocatum ſit, debet iudex eccleſiaſticus, coram quo prouocato iudicio contenditur,interdicere, ne,pendente appellatione, aliud matrimonium vxor, etiam,quæ fuerat abſoluta contrahat.tandiu enim nihil erit innouandum, quandiu de appellatione erit pronunciatum: l.vnica.in prin.ff.nihil noua.appellat. interp. & c.poſt appellationem.§.appellatione.2.q.6. Si igitur alij nupſerit contra interdictum, ea contumacia excommunicationem incurrit: itemq; matrimonium nullum eſt: & reuocatur ante omnia.c.tua nos.de ſponſal.duor. Notant canoniſtæ ibidem matrimonium non poſſe ſubſiſtere, ſi contra interdictum eccleſiæ celebratum eſt. Referre tamen volunt, an ex cauſa id fiat, an ſine cauſa: tum, an ex vera, an ex falſa: denuo,an ex perpetua,an ex temporali. Inſuper,

*Matrimoniũ initũ contra interd. quando nullũ ſit.*

per,inquirunt an processerit interdictum ex causa con trahentium personas attingente, an verò ex alia formam tantum & solennitates ab ecclesia indictas attingente. Primò, si ex causa vera & perpetua, quia perpetuum effectum habitura est,& durat noxa,quan diu durat matrimonium,diuertendum necessario est: l.qui contra.C.de incest.nup. & c.de muliere. de matrimo.cont.contr.interd.eccles. vt si volentes contrahere denunciatione consanguiuitatis retenti sunt, per indicem ecclesiasticum his debet interdici contractus. Quòd si contra interdictum inuicem contrahant,separationis causa iusta est,vt & iniusta contumacia est. d.c.de muliere. Si verò causa sit temporalis, vt quia pendente appellatione nihil erat innouandum, & contumaciter actum restituendum & reponendum est,hæc restitutio, vt potest à causa temporali dependere, ita & temporalis erit, prout euenerit,idest,si cognita appellatione iudicetur secundum vxorem: item & si consanguinitas denunciata non probetur, matrimonium,quòd contra interdictum erat initum,deinde separatum,conualescit,repetendumq; est, mihiq; videtur ita sanè intelligi d.c.tua nos.etiam si glos.con tra sentiat,ibi,& sic intellige quòd dicitur hic. & c.ad dissoluendum. Hæc postrema desumuntur ex c.ex literis,de matrimo.contract.contr.interd.eccles.& ex d.c. de muliere. Quòd si ex falsa causa interdictum sit, matrimoninm non obstante interdicto conseruandum est: vt per glo.& Ioan.And.in d.c.tua nos. & tex. in c.consuluit: qui cler.vel vouent.matrimon. Quòd si causa interdicti sit tantum circa formam & solennitatem, vt ne temporibus certis fiat propter

dierum dignitatem & reuerentiam, si talia contempta sint, non irritum fit matrimonium, sed tenet, indicta connubentibus pœnitentia, aut diuortio ad tempus pronunciato: vt per d.glo.in c.tua nos.

*Vidua secundo nubens.*

DECIMONONO. Olim non licuit viduæ intra annum luctus nubere: non tamen irritum erat matrimonium, sed turpitudine subnotabatur, eratq; infamis vxor: & hunc casum inter primos traductione dignos enumerauit Iurisconsultus in l.prima.ff. de his, qui notan.infam. Oportebat enim annum luctu transigi: aut si adeo mollis erat vidua, vt temperare non posset, principi erat supplicandum, vt huius gratiam faceret.l.solet.ff.eod.tit, aut si suo iure nupsisset, ad infamiam remittendam abolitio principis fuit necessaria: l.si qua mulier.C.ad Tertuli. Ad hæc, pœnas plures in secundo nubentem lex ciuilis introduxit, quæ partim enumeratæ sunt in l.prima. C.de secund.nupt. partim in l.fœminæ. & in l.hac ædictali. & alijs legibus.illo tit. Sed horum maior pars iure canonum abrogata est decreto Apostolico. Paulus in id excurrens, mulier, inquit, viro suo mortuo soluta est à lege viri sui: in domino nubat, cui voluerit: vt refertur in c.super illa.de secund.nupt.nec, etiam si intra annum luctus nupserit legalis infamiæ iacturam excipit: d.c.super illa.& c.fi.illo tit. Imo, etiam statim pòst mortem mariti potest nubere: vt in glo. in verb.nubat in domino.in d.c.super. Vsus tamen cæteras pœnas retinuit. Primò, quòd perdat, sua mollitie intemperanti, lucrorum omnium (quæ occasione primi matrimonij consecuta est, siue ex testamento, siue inter viuos donatione propter nuptias, siue filiorum

*Vidua nubentis pœna sublata.*

*Vidua nubentis pœna obseruata.*

rum

rum successione,aut aliàs quouis titulo, modo lucratiuo) proprietatem, quam lex filijs illius prioris matrimonij detulit, alienatione matri prorsus interdicta: l.fœminæ.auth.in donatione. & seq. C.illo titul. quæ eadem in viro obseruanda sunt. l.generaliter. & auth.hæ res. & auth.vxore mortua. C.de secun.nup. Illaq; lucra filij æqualiter excipiunt.auth.lucrum hoc. ibidem. Et à lege habent,non à defuncto:ideo etiam non hæredes id consequuntur. d.auth.hæ res. vsufructu tamen semper proprietatem perdenti saluo,si caueat de mobilium æstimatione & satisdet de immobilium conseruatione. d.l.hac edictali.§.fi. Secundò, coniux siue nubat intra annum luctus, siue post annum,& cesset pœna superior, nullo horum casu potest coniugi secundò plus donare aut alio titulo lucratiuo conferre,quàm vni,eiq; ex liberis matrimonij prioris, cui minus donatum est.d.l.hac edictali. Obserua tamen in casibus superioribus tituli rationem, oportereq; prorsus lucratiuum esse,quia si aut onerosus, aut mixtus, quia fortunæ periculum mutuo intenditur, legem intemperanti coniugi nihil sustulisse: duntaxat coniugem noluit ex sua incontinentia lucrum gratis consequi: damnum verò in eo tantum adiecit,quòd lucri cessantis subpœnitendum sit.

VICESIMO, Vxor, quæ viri peregrè profecti etiam diutisimè præsentia caruit, aliud connubium petere non potest. Et ad id, cùm Augustæ quidam viri captiui vltra septennium abfuissent, & de his nihil esset neque auditum, neque compertum, vxores iuuenili flamma, & carnis leuitate deperirent, diutiusq; continere non possent, ab Episcopo his venere- *Vxor absentis quando nubat.*

reis quæstibus exurdato Pontifex Max. consultus respondit, quantocunque tempore absint, non posse vxores aliorum consortium sequi, nec id autoritate ecclesiæ permittendum, donec de morte maritorum quid certum audierint. Hæc continentur in c. in præsentia. de spons. & matrimo. & in c. dominus. de secund. nupt. similis est text. in auth. Hodie quantiscunque annis. C. de repud. vbi formula præscribitur maritum nouum eligendi. Item etsi falsò mors prioris allata & iurata sit, redeatq;, optare potest, vtrum velit vxorem recipere, vel relinquere. Quòd si vxor statim & spontè non abeat ab eo secundo coniugio mœchari dicitur, & adulterij accusatur. c. cùm per bellicam. 34. q. 2. Imò, si post id contractum ad falsam assertionem audiatur prior maritus viuere, dubitetur tamen, id cautè obseruandum erit vxori deceptæ, vt à viro debitum Veneris non exigat: quòd si exigit, adulterat: cùm in hoc dubio continendum sit: idq; pie suadet conscientiæ offendiculum: arg. c. inquisitioni. in fi. de senten. excomm. Sed si vir is nouus exigat, parendum erit vxori etiam dubitanti, quia in hoc dubio matrimonio standum est: alioqui fiet marito nouo iniuria, si potius scrupulo, quàm rei legitimæ obsequi oporteat. l. in ambiguis. pro dotibus respondere melius est. ff. de iur. dot. Quòd si vita prioris viri certô comperta sit, & vxori renunciata, statim debet ab eo viro discedere, quem nouit suum esse non posse: si non abeat mœchatur apertissimè, & adulterij incusetur. hæc præclarè & succinctè disponit tex. in c. dominus. de secund. nup.

*Vxor viri absentis quæ nupsit relinqui aut recipi potest à priore.*

VICESIMOPRIMO, Qui inuicem sunt adulterati

rati non possunt matrimonium contrahere : tot. tit. de eo, qui dux. vxo. quàm poll. per adult. Id lex ciuilis indifferenter admisit : l. commissum. C. de adult. quòd canones sanè disponunt, vt inter eos duntaxat sit illicitum matrimonium, qui dum mœchissant, mortem aut vxoris, aut mariti adulterium ignorantis, coniurarunt, vt futuro, ea via, fieret matrimonio locus inter adulteros : c. super hoc. illo tit. Quòd si nihil conspiratum sit, matrimonium non repulerunt canones. c. significasti. eo. tit.

*Matrim. inter adulteros, quando iustum.*

VICESIMOSECVNDO, Qui se religioni deuouit, siue sit vir, siue fœmina, matrimonium contrahere non potest : c. veniens. qui cler. vel vou. matrimo. contrah. non poss. hi enim Eunuchi sunt, inquit Dominus, qui se castrauerunt propter regnum Dei. Obserua huiusmodi votum duplex esse. vnum solenne: alterum simplex. ita distinguitur in c. penult. 27. dist. solenne id est, quòd executionem secum traxit : vt si quis religioni se deuouit, & identidem vestitu sumpto religionem professus est. & de hoc nemo vnquam dubitauit, quin sit matrimonij incapax. tex. in c. meminimus. eod. tit. Quòd si contraxerit matrimonium, id facti est, & non iuris, & mœchari dicetur, non nubere. c. virgines. 27. distinct. & c. si nupserit. 28. distinct. Ideo diuertendum necessario est : c. insinuante. qui cler. vel vou. matrimo. & ad monasterium est redeundum : d. c. meminimus. & c. sicut. de regularib. Castitas etenim verè religiosa est : & vicissim oportet ea censeri castitate maxima, quæ religiosa sunt : siue sint personæ, siue res, siue loca, aut tempora. Et cùm inter omnia sancta sanctorum & sacramenta, siue res

*Religiosus coniux iustus non est.*

*Relig. votũ solenne.*

*Religiosa oĩa casta sint.*

*Eucharist. sacramentum castos desiderat.*

religiosas sit præcipuum, maximum, sanctißimum, sacratißimum eucaristiæ sacramentum, ad id accessuros prorsus castos esse oportet. Idq; specialiter præfiguratum est, primo reg. 21. De Abimelech sacerdote, qui solebat his tantum panes sacrificatos dare, qui assererent se triduo continuisse à mulieribus: quòd certè multomagis debet obseruare, panem, qui de cœlo descendit, accepturus: & ita ratiocinatur B. Hieronymus in c. sciatis. §. ita panes. 33. q. 4. Personas religiosas attingere omni tempore nefas fuit, etiam ante cognitum Christi Euangelium. Nam sacræ virgines, quas hodie moniales dicunt, perpetuam virginitatem vouebant: quam si polluissent & non asseruabant, ex lege Numæ sub terra fodiebantur. Virgines enim, inquit idem B. Hieronymus contra Iouinia. quæ post consecrationem se contaminant, non tam adulteræ, quàm incestæ sunt, & vltra sacrilegij reæ sunt. c. virginibus. 7. q. prima. Hæc leguntur in c. fi. 27. distinct. cùm enim, inquit Innocentius 11. in c. decernimus. 28. distinct. vasa Domini & Templum sint, & sacrarium spiritussancti dici debeant, indignum est eas contaminari. & ea ratione æterni ignis custodes olim dicebantur ob pudicitię vigilantiam, licet superstitiosa & infelix antiquitas ad Vestæ, quæ dea ignis habita est, cultum id retulerit, indeq; dictæ vestales: quibus, si virgines erant, is habebatur honos, vt nisi præcedentibus facibus non prodirent: & his, quòd maximum visum est, damnatum ad mortem obuium liberandi à pœna ius fuit. Triginta annos durabat virginitatis obseruatio, exindeq; poterant liberè sibi optare, quam sequi vellent vitæ conditionem. Ince-

*Virgi. sacrarum stupri pœna et horror.*

*Vestalium virginũ honor immensus.*

ſtus id genus tam in veſtalem, quàm in mœchum acerrimè animaduerſus eſt: auth. ſi quis non dicam rapere. C. de epiſcop. & cleri. Loca item ſacra hoc luxu pollui non debent: c. in eccleſijs. de conſecrat. diſt. prima. Demoſthenes in oratione in Neræam refert Athenis non licuiſſe adulteris Templum vllum populare ingredi. Præterea & tempora quædam ab eo ſancta ſint, vt dies Domini natalitius, reliquæq; feſtiuitates, & dies ieiuniorum: c. quotienſcunque. & c. ſeq. & c. ſi cauſa. 33. q. 4. Id ſolenne votum aliam habet ſpeciem, cùm ſcilicet tacitè profeſſus eſt, qui antea vouit: & ea tacita profeſsio votum alioqui ſimplex, ſua celebratione profeſſoria, ſolenne facit. Licet enim veſtitus monachum non facit, ſed ſola profeſsio. c. porrectum. cum gloſ. j. de regularib. ſi tamen votum ſequatur veſtitus conueniens & diſtinctus ſubnotata diſtinctione, & per annum feratur, profiteri tacitè religionem dicitur, qui vouerat prius. c. ex parte. & c. vidua. de regularib. & clementi. eos qui. eod. tit. Alij ſunt modi tacitæ profeſsionis, quos retulimus ad con ſuetud. Burbon. §. cccxix. in gloſ. *profeſſion expreſſe ou taiſible.* *Profeſsio tacita.*

VOTVM ſimplex eſt, cùm nec veſtitus ſuſceptus eſt, nec & profeſsio facta: ſed duntaxat, cùm quis vouit & ſpopondit ſe religionem profeſſurum. Si contra id nuptum eſt, diuortium fieri non debet, etiam ſi talia vota perſoluenda ſint. tex. eſt in d. c. meminimus. in fin. Imò, ſi voto facto adeatur monaſterium, & feratur veſtitus, ſi tamen profeſsio aut expreſſa aut tacita deſit, poteſt deſeri, voti tamen reatu certa pœna mulctato. Quòd ſi profeſsio facta ſit, aut ſi *Religionis ſimplex votum.*

pubes, secundum votum habitu continuato, ea quæ monachi officio incumbunt expleuerit, anno transacto, irreuocabiliter factus est monachus: vt docuimus eadem gloss. Igitur, aut expresse professum & vestitum esse oportet, aut tacitè professum antea vouisse, quum vestitus simplex sine voto præcedenti aut professione sequenti nihil arguit. & eo omnia recidunt: Habitus non facit monachum, sed consecratio. hæc voluit dicere glos. in verb. nec habitum. iuncta glo. præcedenti in d.c.meminimus. facit c.virgines, quæ post consecrationem nupserunt.27.distinct. Superiora audiuimus Arresto regij consilij supremi comprobata fuisse, hisce diebus, in nobili & opulenta controuersia. Nec omittendum, quòd licet votum vbicunque & quomodocunq; fieri posit, sufficiatq; vouisse, vestiri tamen vouens à quolibet non potest: sed sunt certæ personæ, qui id tantum posint: & si sine delectu vestitus susceptus sit ab eo, qui potestatem non habet religiosum recipiendi & efficiendi, nihil actum erit: licetq; quodam conscientiæ offendiculo, qui vouit & ita vestitus est, debeat auocari à matrimonio, tamen, si contraxerit, non est retractandum. tex. est in c.consuluit. qui cler. vel vou. matrimo.

*Virginē sacram nō habitus sed cōsecratio facit.*

*Relig. vestitus monachū facit, ab eo datus, qui potuit.*

VICESIMOSECVNDO, Quemadmodum sacerdotij gradum persequi & obtinere non potest is, qui matrimonij nexu tenetur, c.assumi. 28.distinct. Ita, qui sacerdos, aut presbyter est, post consecrationem nullomodo potest matrimonium contrahere. c.presbyteris. 27. distinct. & c.quoniam presbyteri. 28.distinct. cùm cæteris capitulis vtriusque distinctionis, quæ in hanc rem conscripta sunt, & ex grauissimis

*Sacerdos nō cōtrahit matrimo.*

mis iuris desumpta. Tyraq.xv.lege connub.nume.57. ex Eusebio Cæsariensi refert Mosen atq; eius fratrem Aaron, antequam à Domino compellarentur, vxores habuisse, & filios genuisse, sed postquam diuinorum verborum & oraculorum facti sunt participes, amplius rei vxoriæ, aut filiorum procreationi non vacasse: sed pudicitiæ. & in eandem rem multa congessit præclara & digna, quæ legantur. Quòd si presbyter matrimonium contraxit, ab ordine remouendus est, & diuertere debet: huncq; extra ecclesiā eijci, & ad pœnitentiam inter laicos redigi decreuit concilium Neocesariense.c.presbyter.28.dist. nec huiusmodi coniunctiones matrimonia dicenda sunt, sed contubernia. de pœnis autem indictis dispensare potest episcopus.c.sanè sacerdotes.de cler.coniugat.

VICESIMOTERTIO, Diaconi & subdiaconi post susceptos id genus ordines, aut horum alterum matrimonio renuntiasse censentur: nec ad id admittuntur.c.j. & c.ij. qui cler.vel vou.matri. c.Diaconi.c. quando.& c.j.& ij.28.distin.& c.Diaconus.27.distinc. plures in idem canones conscripti sunt. 17.q.1. & 2.& 27.q.1. Clerici autem simplices, qui neq; subdiaconi, neq; diaconi facti sunt, neq; item religionem professi, id liberè possunt, cùm de numero prohibitorum non sint.c.cum apud sedem. de sponsalib.& matrim. Id expresse permissum est in c.j.de cleric.coniug. Sed priuatur beneficijs, si quæ habeat tempore contracti matrimonij.c.quòd ad te.& c.diuersis.eo.tit. Illaq; priuatio tantum habet locum, cùm matrimonium contractum est, id est nuptijs, aut præsenti consensu initum.d.c.diuersis.ibi matrimonia contraxerunt.& d.c.

*Diaconi aut subdiacon. matrim.*

*Clerici simplicis matrimo.*

*Clericus coniugatus quādo beneficia perdat.*

quod ad te.ibi,vxorem accipiunt. Nec simpliciter facta promissio contrahendi sufficeret ad priuationem beneficiorum.c.ex literis. de sponsal.& matrimo. Vicissim,sic facti coniuges possunt repetere,quòd clericatus perpetui causa, & ob beneficia accepta in ecclesiam contulerunt,d.c.quod ad te. in fin. Retinent autem priuilegia clericatus, etiamsi tonsuram non ferant,c.Ioannes.& c.ex parte.eo.tit. Eaq; in delictis hodie vsus hactenus obseruauit, si illi poligami facti non sunt, aut viduam non duxerunt vxorem, aut aliam, quàm virginem: si item vxorem virginem susceptam adulterari passi non sunt, idest quæsti non sunt: vt refert Aufrer.in clemen.j.de offi.ord. Si item in negotia sordida se non contulerunt, artes scenicas, aut artificia, quæ dignitati clericali non conueniunt: si sequis se non immiscuerunt, idest,stipendia militaria non meruerunt, aut curam in facinorosos animaduertendi non gesserunt. Pro his, quantum ad viles quæstus legitur præclara constitutio Reg.Philip.pulchr.lata Paris.anno 1274. quæ tales priuatos eo priuilegio sine præcedenti monitione constituit. Quantum ad emerita stipendia vsus ita obseruat, quantuncunque militatum sit, nisi stipendijs ex aere publico constitutis id actum sit,nihil huic priuilegio elapsum videri: vt not.Imbert.lib.iij.§.super hæc.

*Clericus coniugatus quando priuilegia retinet.*

VICESIMO QVARTO, Superant agnationis & affinitatis nexus: & quia spiritualis maioris est obseruantiæ,quàm realis,vt dicit glo.rubricaria in tit.de cogna.spirit.& iustum præstat nuptijs impedimentum, ei primas iure deferendas putauimus. Illum,qui infantem de sacro fonte suscepit, patrimum corrupto

*Cognatio spiritualis impedit matrimonium.*

*Patrimus.*

vocabulo dicimus: cùm ſit patrimus propriè is, qui adhuc patrem viuentem habet, aut qui filiusfamilias & pater ſit. Hunc alij patrinum, alij patrem luſtricum vocant: cùm luſtricus dies olim eſſet ijs, quo infantes luſtrabantur, & nomen accipiebant, eratq; dies maſcu li nonus, puellæ octauus: vt Macrob. libr. j. Saturnal. declarat. Id præfari viſum eſt, etiam ſi vulgaribus vocabulis rem diſſerere cogamur.

*Patrinus.* *Pater luſtricus.*

LEX ciuilis patrinorum & matrinarum certum modum aut numerum non præſcripſit, horum tamen meminit in l. ſi quis alumnam. C. de nupt. vbi cognationis huius nexum, Deo mediante, fieri Iuſtinianus Imperator reſcribit. Canones verò decernunt vnum patrinum, & matrinam vnam duntaxat accerſiri. c. non plures. de conſec. diſtinct. 4. Si tamen plures adhibeantur, non damnant, neq; improbant: imo inter hos plures, quàm deceat, cognationem ſpiritualem contrahi volunt. c. fina. de cognat. ſpirit.

*Patrinorum numerus.*

AD gradus venio. Primò patrinus non poteſt eam habere vxorem, quam de fonte baptiſmi extulit: licet alumnam, quæ loco filiæ eſt, habere poſſit: text. eſt in d. l. ſi quis alumnam. C. de nup. Secundò, inter patrem baptizati & vxorem patrini matrimonium iuſtum non eſt, ſi patrinus, & patris eius, qui baptizatus eſt, vxor deceſſerint. c. Martinus. de cognat. ſpirit. Tertiò, inter baptizatum & vxorem patrini idem erit: c. j. eo. ti. lib. vj. Quartò, inter patrem baptizati & matrinam idem eſt: c. veniens. eo. tit. & c. j. eo. lib. vj. Quintò, ſi ſacerdos baptizans habeat ante profeſſum ſacerdotium filium legitimum & naturalem, ille cum baptizata non poterit matrimonium inire: neq; viciſsim filia

*Cognatio ſpiritualis quæ matrimo. impediat.*

cum

cum baptizato nubere: c.fi.illo tit.Sextò,filij duorum compatrum, quorum filiorum alter est, qui è baptismo susceptus est,iustè copulari non possunt: imo copulati separandi sunt: c.tua nos.de cognat.spirit. Alij verò filij præter baptizatum iustè possunt: c.j.qui matrimo.accus.poss. Septimò, masculus & fœmina patrinus & matrina simul infantem de sacro fonte efferentes non prohibentur à matrimonio. & hæc fuit opinio Innoc.& facit text.& glo.in c.fi.30.q.4. Maritus enim & vxor bene consulti patrinus & matrina eiusdem infantis fieri non debent: non eo quidem, quod matrimonium eorum disturbetur, sed ad tegendam vulgi opinionem factum id infamantis,idq; licet iniustè, non tamen cōtra publicam honestatem. & hæc declarat Abb.Sicul.in c.Martinus. de cognat. spirit. Octauò,eadem dicenda sunt & obseruanda de sacramento confirmationis, cùm eius causa ijsdem modis contrahatur cognatio.c.j.§.fina.eod.tit.libr.vj.

*Coniuges facti spiritualiter cognati nō diuertūt.*

*Cōfirmat. sacramentum impedit matrimo.*

*Cognatio. spiritualis declaratio.*

DVO prætereà adijciam: primò, quòd oportet ad impedimenti huius spiritualis existentiam, vnum de duobus coniugibus vetitis esse aut baptizatum, aut patrinum vxorémvè eius,aut matrinam,aut eius maritum, cùm vltra has personas illa cognatio nō progrediatur. c.j.ibi, excepta illa persona duntaxat, per quam ad compaternitatem venitur. eo.tit. & licet his verbis canonicis hæc tantum cognatio exprimatur: sua tamen huic cognationi affinitas est.d.c.Martinus. quæ non attenditur. Possum etenim vxore mea defuncta eam habere vxorem,quæ commater fuit vxoris meæ defunctæ ante matrimoniū nostrum. c.post vxoris obitum. 30.q.4. Item possum matrimonium contrah

contrahere cum ſorore filij mei ſpiritualis. c.ſi.30.q.3. aut cum filia ſpirituali filij mei. glo.in d.c.ſi.Secundò, quòd compaternitas ſuperueniens nihil diſturbat matrimonium: c.contracto. eod.tit. etiam ſi ſit inter virum & vxorem: & ſiue ſcienter, ſiue ignoranter contracta ſit, nihil attenditur.c.ſi vir vel mulier.eod.tit.& c.per cathecismum.eod.tit.lib.vj.

VICESIMOQVINTO, Inter hos & affines iure referendi ſunt: hi enim, vt Modeſtinus ait, ſunt viri & vxoris cognati, dicti ab eo, quod duæ cognationes, quæ diuerſæ inter ſe erant, per nuptias copulantur, & altera ad alterius cognationis finem accedit: nanque coniungendæ affinitatis cauſa fit ex nuptijs.l. non facilè.§.affines.ff.de gradib.affi.& Cicer.ſequuntur, inquit, connubia & affinitates, ex quibus etiam plures propinqui. Hi olim nihil à matrimonio ineundo prohibiti ſunt: imo, iure diuino, ad id ferè coacti ſunt. idq́; ius retinuerunt Aegiptij ad tempora Zenonis Imperatoris. Sed hodie tam lex ciuilis, quàm pontificia id prorſus ſubſtulit: l.licet quidam.l.fratris vxorem. C.de inceſt.nupt. l.qui in adoptionem.ff.de adoptio.c.ad audientiam. de ſponſal.c.diſcretionem. & c.tuæ.de eo qui cogno.conſang. Ad hæc notabilis hiſtoria ſummi & beatiſsimi Prophetæ bea. Ioann. Baptiſtæ, in quo, Hærodis teſtimonio, virtutes operabantur, & quem ipſe Hærodes, propter Hærodiadem vxorem fratris ſui, corripuit & decollauit: dixerat enim Hærodi, non licet eam tibi vxorem habere. Quæ res ſine graui vindicta non fuit: prout & ſolet delictum id genus ſecum afferre inſignes pœnas, easq́; in multam generationem diuturnas. Tranquill. in Tito

*Affinitas matrimo. impedit.*

*Affiniū coniugū pœna.*

f

Tito Vespas. alioqui dignissimo, qui diutius viueret ob suauitatem morum & imperandi gratiam, refert eundem febrim nactum & moribundum, cùm lectica transferretur, suspexisse, dimotis plagulis, cœlum, multumq; conquestum sibi vitam eripi immerenti, neq; extare vllum suum factum pœnitendum, excepto dũtaxat vno: quod, quale fuerit, neq; tunc prodidisse: quibusdã tamen succurrisse in opinionem, bonũ imperatorem recordatũ consuetudinem, quam cum fratris vxore Domitia habuerat. Claudius Cæsar temulentus aliquando detestatus est coniugium impudicum, quod cum Agrippina Germanici fratris sui filia inierat contra legem, idq; sibi infeliciter cesit.

*Affinitatis gradus secũdum leges.* AFFINITAS olim proprie gradus nullos habuit: affinesq; tantum fuerunt, socer, socrus, gener, nurus, nouerca, vitricus, priuignus, priuigna: l.non facile.§. affines.versicu.nomina.ff.de gradib.affi.& quia vir & vxor in horum numerum adscripti non sunt, affines dici non debent, sed cæterorum affinium causa: vt dicit Accurs.in glos.ibidem, in verb.ex nuptijs. idem in sponso & sponsa. vt notat glos.in l.seruus.in verb.affinitas.ff.de condict.ob caus. facit text.in c.j. de sponsalib.& matrimo.lib.vj. Sed impropriè per gradus affinitas distincta est: vt scilicet eodem gradu sit ille mihi, aut vxori meæ affinis, quo huic aut mihi respectiuè cognatus est: l.Iurisconsultus. in princ.illo titu. glos. in d.§. affines. in verb.nulli sunt. *Affinitatis gradus secũdũ canones.* Iure pontificio gradus certi dati sunt & ordine descripti: inq; quartum gradum progreditur eo iure matrimonij inhibitio.c.j. de consang.& affinit. Olim extendebatur de sobole suscepta ex primis nuptijs ad susceptam ex secun

ſecundis, ideſt,cùm ſint quatuor genera affinitatis, in nullo contrahere licuit. Ecce, vxor fratris mei vidua nullum poteſt habere maritum eorum ,quos uſq; ad quartum gradũ maritus conſanguineos habuit: quia horum,eodem gradu,affinis eſt,quo fuit maritus con ſanguineus. & id primum eſt affinitatis genus: nullumq; aliud prohibitum,ſiue de fratris vxore,quæ fratria dicitur: ſiue de nepotis,quæ nurus: ſiue de pronepotis,quæ pronurus,quæratur. Si illa autẽ fratris vxor facta vidua cùm alio nubat, ille alius mihi affinis eſt ſecundo affinitatis genere.aut ſi antequam cum fratre nupſiſſet,cum alio mihi extraneo nupſerat, vtriuſque tam primi, quàm tertij viri filij nulla me attinent affinitate. Item, & licet vxoris meæ filius,cui ego vitricus ſum,ille viciſsim mihi priuignus,& affinis eſt:nulli tamen meorum affinis eſt. Item frater vxoris meæ licet mihi,liberiſq; meis affinis eſt,ſorori meæ tamen, neq; vlli alij ex mihi tranſuerſalibus eſt. Adeò, vt reperias hos tantum affinitatis ius habere,qui cum nobis, aut noſtris matrimonio copulati ſunt: cæteros verò,qui neq; coniuges,neq; coniugum filij ſunt,non habere. idq; eſt,quod Modeſtinus in d.l.non facile.§. hos ita.voluit dicere, vt ſcilicet his qui affinitatis cauſa parentum loco aut liberorum habentur, copulari nefas eſſe.in quo fratria,aut leuir omiſsi addendi ſunt. facit c.coniunctiones.35.q.3. Cæteri verò, vt conſanguinei aut filij mariti, cum vxoris conſanguineis & filijs ritè matrimonium cõtrahunt. c.quod ſuper his. de conſang.& affinit. Hæc & alia plura in rem hanc congeſsit gloſ.in c. non debet. in verb.in ſecundo. de conſang.& affinit.

*Affinitas an ex coitu meretricio quaratur.* AD hæc ſciendum eſt olim affinitatem non fuiſſe, vbi nuptiæ erant interdictæ, ex quibus tantum affinitas ſumpta eſt. verba ſunt Modeſtini in d.l.non facile.§.ſciendum.Scæuola tamen ſentijt,nihil intereſſe ex iuſtis nuptijs cognatio deſcendat, an ex alia quauis coniunctione. nam & vulgò quæſitam ſororem nemo poteſt vxorem ducere; verba ſunt Scæuolæ in l. & nihil.ff.de rit.nupt.facit l.j.in fi.cum gl.fi.ff.de concub.& §.affinitatis.inſtitu.de nupt. Id vberius Paulus Iuriſconſult.in contrahendis,inquit,matrimonijs naturale ius, & pudor inſpicienda ſunt: contra pudorem certè eſt, patrem etiam vulgò quæſitam filiam vxorem ducere.l.adoptiuus.§.j.verſic.vnde, nec vulgò quæſitam: illo tit. lex Imperatoria id abſolutè vetuit: affinitatemq; ex quocunq; coitu ſiue nuptiali,ſiue meretricio obſeruauit.l.liberi concubinas.C.de nupt. vbi Alex.Imperator quodammodo infert nuptijs id genus diuortium neceſſarium eſſe, qui has re & verbis execratur,ſtuprumq; dicit,& contra Chriſtianam religionem actas. Iure canonico impediuntur. d.c. debet.c. nec eam.35.q.3. tamen ſi pendente matrimonio affinitas incidat ex damnata cauſa, matrimonium ſecundum iuris regulas contractum non diſturbat.c. diſcretionem. cum gloſ.in verb.nec affinitas.c.tuæ. & c.fin.de eo,qui cogno.conſang.vxo.

*Cognatio legalis quado matrimo cōtrahat.* VICESIMOSEXTO, licet filius arrogatus, aut adoptatus nobis agnaſcitur, & noſtris fiat cognatus. l.qui in adoptionem.in princ.ff.de adop.tamen, quia non ius ſanguinis ſed agnationis tantum affert familiæ noſtræ, agnaſci duntaxat cenſetur: & quandiu de familia adoptantis eſt, eius filiæ frater eſt, nuptiæq;

eorum

eorum prohibitæ sunt.d.l.qui in adoptionem. lex ciuiles ita subduxit. Siue familiam sequatur, siue eam deserat, semper nefas existimauit lex, eam vxorem ducere, quæ per adoptionem filia, neptísue esse cœperit. l.quinetiam. in princip. ff.de rit.nupt. Item & licet adoptantis vxor adoptato matris loco non sit, d.l. qui in adoptionem. tamen illam ducere non potest: quia nouercæ locum habet.l.adoptiuus.in princip. ff. de rit. nuptia. Imô, & vxorem filij adoptati pater non habebit, etiam post emancipationem: quoniam aliquando nurus eius fuit. §.hæc adeo.instit. de nupt. facit præclarus tex.in l.extraneo.§.fin.& in l.vnius facinoris.§.seruus in caput Domini. ff.de quæstio. & in l.seruos non solùm.C.eo.tit. Quantum ad cæteros, siue de familia, siue extra familiam, per adoptionem quæsita fraternitas impedit nuptias, donec manet adoptio: illa verò soluta non impedit: aut etiam si soluta non sit, nuptiæ inter filium adoptatum & filiam adoptantis ante adoptionem emancipatam tolerantur. l.per adoptionem.illo titul.& quia per adoptionem non fit auunculus, sororis filiam adoptiuus nullo casu prohibetur vxorem habere. l.si qua mihi. §. adoptiuæ. ff.de rit.nupt.& §.eius verò mulieris.instit. de nup.& in his maior est prohibitio descendentium & ascendentium, quàm collateralium.d.l.per adoptionem.§.amitam. Canones non ita curiosè rem decernunt: sed duntaxat sororis legitimæ & naturalis, & fratris adoptiui matrimonium iustum non esse statuunt, si durat adoptio: quòd si soluta sit, iustum esse. Doctores dubitant, an si contra iuris prohibitionem matrimonia id genus contracta sint, disturbentur?

quidam tenent ſubſiſtere,ea cauſa, quòd impedimentum ſit temporale.& breui duraturum. Hugo.tenet non ſubſiſtere,nihilomagis, ac ſi cum ea, quæ alij nupſerat, contractum ſit. licet enim durante temporali impedimento,quod eſt, quandiu viuit maritus, illicitum ſit,licitum tamen eſſet futurum,quando vita defungi maritum continget. Sed omni tempore iniuſtum eſt.prima ſententia ſanior viſa eſt.

*Conſanguinitas matrimonium impedit.*

VICESIMOSEPTIMO, Vt tandem ad cognationem veniamus, quam ad poſtremum ex induſtria reſeruauimus. Antiquo iure nemini licuit contrahere matrimonium cum filia, nepte, pronepte,aut matre,auia, proauia : & ex latere,amita,matertera, ſorore, ſororisq; filia,& ex ea nepte : præterea fratris filiâ, & ex ea nepte.l.nemini. C.de nupt. idq; in infinitum. l.ſororis.& l.fin.ff.de rit.nuptiar.adeo,vt quemadmodum dicit gloſ.in d.l.nemini. Si reuixiſſet Adam, ad cœlibatum fuiſſet conſtrictus,cum nulla fuerat eo iure , cum qua matrimonium inire iuſtè potuiſſet : & id verum erat reſpectu deſcendentium. §.inter eas.& ibi gloſ.inſtit.de nupt. Diſsimile fuit inter collaterales:quia ſolus primus gradus impedimentum habuit: ideſt , vt frater ſororem , aut eius filiam , & ex ea neptem,& ſic deinceps, aut deſcendendo, aut aſcendendo non poſſet habere vxorem. Claudius Cæſar illecebris Agrippinæ Germanici fratris ſui filiæ per ius oſculi & blanditiarum occaſionem pellectus in amorem,cum illa nuptias confecit.& licet Senatuſconſulto effecerit, vt cæteris talium coniugiorum venia data ſit, reperti tamen non ſunt præter vnum, aut duos libertum & alterum primipilarem , qui ſequerentur exemplum : quod ad id tempus ea coniugia inceſta

habita essent.cuius facinoris Imperatorem in reliquis satis laudandum sub exitu vitæ pœnituit, sibiq; in fatis palàm dixerit, matrimonium impudicum, sed non impunitum haberi: quo territa Agrippina cœpit exitum viri parare. Contigit, vt boleto medicato per hanc domestico conuiuio Imperatori, talium ciborum auidissimo, oblato ille perierit. Cæteri tamen gradus non ita impediti sunt. Patrueles enim, idest, filij duorum fratrum, quos cognatos Germanos dicimus, aut consobrini, idest, duarum sororum, aut sororis & fratris filij matrimonium potuerunt contrahere. l.celebrandis. C.de nupt. & §.duorum.instit. de rit.nupt. Idem Claudius Cæsar post reiectas Plautiam & Petinam Valeriam, Messalinam Barbati Messalæ consobrini sui filiam in vxorem accepit, vt eo tempore licuit. Ius canonum legem ciuilem fuerat secutum ad gradum non tantum septimum, sed quandiu consanguinitas cognosci poterat: & de hoc sunt quatuor canones expressi, scilicet c.progeniem. c.in consanguinitate.c.in copulatione.& c.nulli.35.q.2.sed nouo iure hæc limitata sunt, vt scilicet hodie vltra quartum gradum non procedat prohibitio. c.non debet.de consanguin.& affinit. & etiam de quarto in quintum admittatur matrimonium, ita, vt qui in quarto gradu sunt, dimidiato gradu tantum distent à matrimonij permissione.c.fin.illo tit. Olim, in gradu prohibito nuptiæ fieri solebant ex principis indulgentia: & eo modo de iniustis nuptijs iustæ fiebant.l.si senatori.ff.de rit.nupt.& l.fin.C.si nupt.ex rescript.pet.facit in arg.l.adoptio.ij. ff.de adoptio. Sed Pontifex Max.talia, vt æquum fuit, beneficij sui fecit.

*Patruelles aut consobrini potuerūt inuicem nubere.*

*Consanguinitas quatenus nubere impediat.*

*Pontifex summ. quando matrimo. gratiã facit.*

*Consanguinitatis graduum computatio.*

*Princeps matri gratiam quãdo facit.*

*Consanguinitatis graduum copulatio.*

c.liceat.de restit.spoliato.vbi enumerantur casus, quibus id ille possit. Aduerte illum talia tantum posse, cùm de canonico impedimento agitur: vt si de excusandis,quæ ab ecclesia interdicta sunt. Contra est, si de ciuili impedimento quæratur, vt de matrimonio inter curatorem & adultam,raptorem & raptam,cæterisq; id genus,quæ canones nihil curarunt: princeps enim horum gratiam facit:l.si tutor.C.de interd.mat. idq; hodie obseruandum est.

PRO graduum computatione obseruandæ sunt lineæ tres,ascendentium,descendentium, & transuersalium. Quantum ad priores duas inter vtrunque ius conuenit, & similis est computatio. vt scilicet respectu ascendentium, pater sit primus gradus: descendentium,filius:l.prima.§.primo gradu sunt suprà pater & mater: at infrà filius & filia.&l.Iurisconsultus. §.nunc singulos.ff.de gradib.affinit. Sed transuersales enumerando,differunt.Canones enim fratrem & sororem primo gradu collocant: leges secundo. Sed obtinuit computatio canonica,vt formam det matrimonijs ad gradum certum, vt in linea ascendentium vsque ad abauum: descendentium vsque ad abnepotem: & transuersalium vsque ad fratris aut sororis abnepotem aut abneptem:sic non ad exemplum successionis, quæ ad decimum gradum progreditur. vt per glos. & Io.Fab. in auth. in successione. C.de suis & legit.hæredib.& glo.fi.in l.certum.C.vnde legit.Igitur superiori limitatione abrogatæ sunt d.l.nemini.& l.celebrandis. eoq; nouo iure hodie vtimur in matrimonijs tam respectu lineæ directæ, quàm transuersalis. Illa enim omni casu restricta sunt: hæc ampliata.

ta. Lex ciuilis in consobrinis, qui in secundo transuersalium gradu sunt, variauit prisco iure. Inter hos matrimonium iustum non erat: & eadem forma transuersales, qua directi contrahebant: sed postmodum succurrit effrenata licentia, magis quàm iusta, consobrinorum & fratrum patruelium promiscuæ coniunctionis l. si neptem ex filio. & l. non solum. ff. de rit. nupt. Canonica lex eos omnes gradus cognationis similes fecit, & ad ius primum reuocauit. c. cùm igitur. 35. q. prima. & d. c. debet. idq; consuluit naturale ius & publicus pudor. arg. l. adoptiuus. §. primo. ff. de rit. nupt. Impedimentum id genus inter cætera præcipuum fuit: & ob id incestus turpitudinem & infamiam contra scienter contrahentes pœnæ plures indictæ sunt. l. incestæ. ff. de rit. nupt. l. qui contra. C. de incest. nupt. §. si aduersus. instit. de nupt. Insuper, & matrimonia talia iuuãtes aut sollicitantes. hisq; astantes, si sciuerint, & non denunciauerint, infames sunt. c. consanguineorum. prima. q. 3. item & excommunicati sunt, cle. prima. de sponsalib. Excepti tamen sunt, tam viri, quàm fœminæ, quos error non affectatus aut insimulatus, aut ætatis lubricum excusare potest. vt dicit tex. in d. l. qui contra. Sufficitq; ad excusationem alterius ignorantia. & ad id Martianus, delinquunt, inquit, qui prohibitas nuptias contrahunt, & merito sunt puniendi: imputari tamen non potest mulieri, quæ decepta est. in l. si ff. de leg. primo. in idem tex. in l. cum hic status. §. si. ff. de donat. int. vir. & vxor. Imperatores Marcus & Luscius Tertulliæ, quæ auunculo nupserat ignorans, & sic in secundo transuersalium ascendentium gradu, & quadraginta annis in

*Consanguineorum nubentium pœna.*

*Cõsanguinei nubẽtes qui excusentur.*

*Filij legitimi ex incesto matrimo.*

g matri

matrimonio fuerat, reſcripſerunt, ſe confirmare ſtatum liberorum ex eo matrimonio ſuſceptorum, quòd palàm contractum erat, perinde ac ſi legitimè concepti eſſent: caſus eſt l.qui in prouincia. §.fin. ff.de rit. nupt. matrimonium verò ipſi non confirmarunt, prout nec fieri debuit: nec illud ſemel illegitimè factum vllo annorum numero defendi poteſt: cùm diuturnitas temporum non minuat peccatum, ſed augeat tantoq; fiat grauior offenſa, quanto diutius infœlicem animam detinet alligatam: verba ſunt Innocen. III. ex concilio generali, in d.c.non debet.in fin. Quòd ſi, errore comperto, & vbi ventum erit ad legitimos annos, perſeueretur in eo matrimonio, perfecta eſt coniugum malitia: illiq; pœnas prorſus excipiunt, d. l.qui contra. Debent enim coniunctionem inceſtuoſam ſtatim dirimere, ſi excuſationum ſuperiorum fructum conſequi volunt: alioquin ad diuortium coacti ſua turpitudine excuſationes perdunt.

*Conſanguin. coniugu filij quando ſint legitimi.*

AD filiorum ſtatum obſeruari conſueuit, vt ſi palàm eſt contractum matrimonium, & nuptiæ ſolenniter celebratæ, eo caſu ignorantia alterius impedit, ne liberi inceſtuoſi ſint, ſed ſint legitimi: cap.ij.c.ex tenore.c.referente.qui fil.ſint legit. Idem erit, etiam ſi ſciat vterque, & ſummus Pontifex huius gratiam fecerit, ſiue ante contractum concedendo, quòd fit rarius, & ex magna cauſa, ſiue poſt cognitam agnationem confirmando: c.per venerabilem.eod.tit. Quòd ſi clam id actum eſt, eo caſu, etiam ſi vterque vitium rei neſciat, nihilominus filij inceſtuoſi ſunt, & legitimum ſtatum habere non poſſunt.c.cùm inhibitio. de clandeſti.deſponſatio. & gloſ. in d.cap.referente. in verb.

igno

ignorantiam.in fin.& in rem hanc Paul. ad Senatusconsultum Iulianum, qui vxorem, inquit, duxerit, quam vetatur: vel affinem, quam impeditur, si quidem palàm fecerit, leuius; si clàm hoc commiserit, grauius, puniatur. cuius diuersitatis illa ratio est circa matrimonium, quod ex latere non benè contrahitur: quòd palàm delinquentes, vt errantes excusantur: clam committentes, vt contumaces plectuntur. Hactenus Iurisconsul. in l.fin.ff.de rit.nupt. Et licet pompa nuptialis parum prosit matrimonio, l.si donationum. C.de nupt. tamen si actui addatur, facit, vt palàm fieri dicatur, actumq; celebret. cap.peruenit. qui fil. sint legit. *Nuptialis pompa quid prosit.*

I HABES rationem matrimonij ineundi, tum & in eo ineundo mœchandi: & quia scio quæstionem inter viduam, & mariti hæredem apud me his diebus constitutam, quæ ad postremum articulum multum facit, visum est non prætermittere. Vidua dotem amplam sanè, eiusq; augmentum, post annum, & vbi eluxit, ex composito repetit. Hæres prorsus controuertit. Causas habet speciosas quidem, & iure, vt videtur, sibi datas. Matrimonium incestum fuisse inter duarum sororum abnepotes, qui quartus gradus est, sicq; contra regulas iuris: d.c.non debet.& c.fi.de consangui. virum defunctum, pendente coniugio, postquam vitium id sibi compertum fuit, multopere conquestum: tum & patrem viduæ curatorem mariti id matrimonium sollicitasse, cùm esset huius adulti sui reliquator, item & cognationem sciens. Primam causam iuuat, quòd viduam impedimentum scisse asserit, seq; mutuo ante matrimonium virum & fœmi- *Consanguineorum coniugij casus.* *Cognationis scietia quomodo præsumatur.*

nam cognationis honore denominasse:eorumq́; maiores verbis id semper confirmasse:ideo rem esse diffiniendam secundum legem, qui contra: canonum sancita tantum obseruari, cùm de matrimonio quæritur: hic agi duntaxat de dote, & huius causam, vt ciuilem, lege ciuili expediri debere:nec ad canones reuocandam esse. Si igitur matrimonium nullum fuit, porrò si incestuosum,ex eo neque dotem deberi, neque repeti posse: l.à diuo pio.& l.dote.ff.de rit.nupt. vxorem scientem,idq́; ex secunda causa,dotem perdidisse, nec igitur augmentum doti accessisse:idq́; nullo modo consecuturam esse: d.l.qui contra. Imò,cum incestæ nuptiæ dotem non habeant,omne quòd perceptum erit, etiam si fructuum nomine perceptum est,auferri.l.incestæ.ff.de rit.nupt.

VIDVA actioni suæ contra nitebatur his armis. Cognationem negabat, nescisse asserebat. Se in prima adolescentia nupsisse ætatis duodecim annorum: lege idcirco excusari, etiam si cognatio fuit. d.l.qui contra. Tum,& nuptias palàm fuisse actas cùm pompa solenni,nihil ideo malè præsumi: l.fi.ff.de rit.nup. Sacerdoti matrimonij vota confirmanti neminem denunciasse impedimentum, licet parentes & amici magno numero assisterent: imo fratrem viri & hodie hæredem præsentem & cum cæteris, solita interpellatione,de impedimento interrogatum à sacerdote non tantum subticuisse, sed palàm omnia ritè fieri asseruisse: amplius idcirco non esse audiendum.l.si vt proponis. C.de nupt.& c.fi.qui matrimo.accus. poss. Tertiò,his silentium iure imponi, qui lucri gratia accusant matrimonium, siue directè, siue per exceptionem:

*Matrimonij incesti exceptio quando nō admittitur.*

nem: adeo, vt ferendus non ſit, qui dotem repetenti poſt matrimonij diſſolutionem, excipit de matrimo nio inceſto, aut aliàs nullo. Occurrendũ eatenus hominum malitijs eſſe, vt quæſtus non præferatur. c. prohibentur.2.q.1. & c.ſignificante. qui matrimo.accuſ.poſſ. Quartò, nihil prorſus facere, ſi maritus viuens impedimentum ſit teſtatus & vtcunq; conqueſtus: quia, etiam ſi publicè egiſſet cum totius viciniæ fama,nihil erat matrimonio detracturus: cùm ei creditum non eſſet.c.ſuper eo. de eo qui cogno. Debuit enim matrimonium accuſari ad ſeparationem, ob poſitam cognationem, quæ per eos duntaxat teſtes potuit probari, qui ſtipitem nouerunt, ideſt, patrem & germanos: & eos ſuis proprijs & certis nominibus deſignent: nihil auditu fulciant, ſed ſciſſe, vidiſſe, nouiſſe aſſerant: vt declarat text.in c.tua nos. de conſang.& affinit. Teſtes autem cum delectu aſſumendi ſunt, hijq; primo loco, qui parentes ſint: qui ſi deficiant,admittuntur,qui proximo loco ſunt. veriſimile etenim eſt,vnunquenq; maiores ſuos teſtibus,chartis, ſeniorum recitatione,& cæteris modis ſcire uelle, idq; curaſſe. Et inter hos pater, mater, frater, & alij teſtes idonei ſunt, nec eleuari poſſunt: c.videtur. qui matrimo.accuſ.poſſ. Et ad id notandum eſt,quòd aſſertio vnius impedimentum denunciantis non impedit ma trimonium contrahi, niſi fidedigni & grauis: c.cum in tua.& c.præterea.de ſponſalib.& matrimo. Quod ſi de contracto matrimonio agatur, vnius etiam iuratiſsimi, & quantumuis honeſti denunciatio nihil attenditur. c.de illo. de eo, qui cogno. conſang. vxo. ſuæ. Quintò, demus, inquit vidua, matrimonium fuiſſe

*Cognationis probatio quo modo fiat.*

*Cognationẽ denuncianti vni quatenus credatur.*

*Matrim. incestum cum ignorãte altero tenet.*

illicitum, tamen mea ignorantia probabili tenuit, vt ritè & palàm contractum, cohabitatione quieta deinde consummatum, diu continuatum cum silentio & ignorantia, morte postremo dissolutum: ideo id hodie dicere nullum post mortē alterius coniugum, cauillari magis est, quam denunciare. c.peruenit. qui fil.sint legit.tex.in l.si ignorans.C.solut.matrim. & in l.j.C.de condict.ob caus. Sextò, magis vrget, quod in ea quæstione hæres de matrimonij statu audiendus non est, cùm de dote restituenda agatur. Matrimonium enim, etiam inter viuentes incestum duraret, quoad esset reuocatum, & ambo essent iudicio incestus separati. Sed vbi pronunciatum nihil est, de matrimonio, hæres suo iure non potest id tanquam nullum dicere ex re sua & lucro ambitioso: c.porrò. de diuort. Oporteret igitur, antequàm posit de matrimonio incesto excipi, id aut iudicio dissolutum, aut sponte à coniugibus, re cognita ab eo discessum esse: quia, vt nec sine consensu contrahi potest, ita nec distrahi: causa tamen vitiosa consensum supplet diuortij.l.si vt proponis. C.de nup.& d.c.porrò. Sic in hoc negotio, vbi mors illud dissoluit sine iudicio, amplius de eo quærendum non est: & ideo dotem non impediri, cuius iudicium aliud & planè diuersum est, vt quod ad iudicem temporalem pertineat, matrimonij verò ad ecclesiasticum.c.causamq́;.secundo, qui fil.sint legit.nec item cumulari possunt.d.c.porrò.

*Matrimonij incestũ quomodo accusetur.*

*Matrimonij incesti dos restituitur.*

SEPTIMO, Idq́; fortius, concedamus, inquit vidua, matrimonium fuisse illicitum iudicio declaratum ob consanguinitatem, nihilominus dos debebit restitui. text.est in l.præfectus.§.fi.ff.de rit.nupt.& in l.si tutor. in fi.

in fi.ibi, & dos data per condictionem repeti potest. C.de interd.matrimo. facit l.j. C.de condict. ob caus. & l.si ignorans. C.solut.matrim. expresior est textus & in hanc rem nuncupatim specialis in c.prudentia. de donat.inter vir.& vxor. vbi Clemens iij. Vos, inquit, consanguinitatem inter eos inuenientes sententiam diuortij tulistis: de dote, quam à viro mulier repetebat, quicquam statuere distulistis. Et paulòpost, mandamus, quatenus virum monitione præmissa co gatis, vt vxori totam dotem, sicut canonicum fuerit, restituere non moretur.

OCTAVO, Quoad augmentum dotis idem erit, vt scilicet cum dote repetatur, c.etsi necesse sit. à contrario sensu. cum glos.magna.de donatio.inter vir.& vxo.Nam licet ibidem non debeatur, quòd à viro ob id matrimonium, vxori donatum erat, tamen duæ causæ dantur, quarum expresio in cæteris omisis ius & regulam facit. Primò, quia maritus vxori castra duo donauerat & tradiderat retinenda in casum, quo maritus ab ea diuerteret: quam pactionem lex improbat.l.si ista stipulatio.ff.de verbo.oblig. & l.libera. C.de inutilib.stipulatio.& c.gemma.de sponsal.& ma trim. Secunda erat causa, quòd maritus renuebat parere sententiæ diuortij, nisi vxor vicisim consentiret donata castra sibi restitui: sic, vt consanguinei ab illicito coniugio abirent, vxori fuit iniunctum, vt restitueret.

*Matrimonij incesti dotis augmētū an debeatur.*

POSTREMO, quòd pater viduæ esset mariti curator & reliquator, nihil officere: cùm primùm iure liceat, curatori filiam cum adulto suo collocare, vt suprà decimo casu satis diximus. Secundùm nihil eam attinere:

attinere: hæredi ſaluas eſſe actiones contra reliquatorem. Omiſeram denominandi cognationis titulo vſum, quo illa neq; magis ſcire, neq; quid nouiſſe dignoſcitur. id enim ſæpe amicitiæ cauſa inter extraneos, aut certè inter eos, qui gradu citeriori diſtant, promiſcuè vſurpatur, neq; certum gradum arguit.

DE HAC controuerſia nihil adhuc diffinitum fuit, neque apertè mihi dicendum, quid ego ſentiam. Sed cùm videretur initio rem comperendinari poſſe, mea ſententia prouidi viduæ interim, dum de re quæritur, dotemq́; & augmentnm iuſsi reſtitui fideiubendo, Rebuffi opinionem ſecutus in conſtit. Ludo. 12. ar. 80. public. ann. 1499. in tract. de ſent. prouiſion.

HAEC mihi videntur ſatis eſſe ad integritatem & viciſsim ad corruptelam matrimonij: & ex ſuperioribus cognitu facile, quomodo connubendo legem naturæ & ſacramenti ſequamur: tum & quomodo mœchiſsemus & adulteremur. Sequi debet aliud mœchandi genus, quod inter coniuges commune eſt.

## DE ADVLTERIO *inter coniuges.*

*Coniuges inuicem mœchiſſant.*



IN IPSO coniugio, & cum coniuge committitur adulterium, ſi effuſo affectu, non iudicio & prudentia amor vxorius exercetur: ſi regnet voluptatis impetus: ſi deniq; vxor turpiter, vt adultera, ametur. Nec refert, qua ex cauſa, ſiue honeſta, ſiue obſcœna quis inſaniat: cùm inſanire ſemper turpe ſit. Adulterium igitur eſt, vt ait Sext. Pythagoricus, ſi vxorem propriam vir deperit: & viciſsim, ſi virum vxor. Ita declarat ſanctus Hieronymus

ronymus contra Iouinia. & ſcriptum eſt in c.origo. 32.q.4.Nempe origo amoris vxorij honeſta fuit,con iunctio laudabilis, effectus permiſſus. Nónne legiſtis, inquit CHRISTVS Matth.j.Quòd creauit Deus ab initio maſculum & fœminam: hos ergo quia coniunxit,nemo ſeparet. DEVS igitur huius coniunctionis autor eſt. At vſus ratio rem diffinit, vt ſi in illas tantum cauſas feratur, quæ præcipuæ ſunt, vt prolis habendæ, tum & ſcortationis euitandæ, bene eſt.c.ſicut non omnis.§.his ita.32.q.2. Prima, inquit D.Hieronymus, inſtitutio coniugij in paradiſ. facta eſt, vt eſſet immaculatus thorus, & ſine ardore concupiſcentiæ concipiatur proles, Secunda propter motum elimandum, quæ Pauli præcepto argumentum dedit, ita iubentis. Propter fornicationem vnuſquiſq; habeat vxorem ſuam: vnaqueq; habeat virum ſuum. Hæ igitur cauſæ eludendæ non ſunt: alioqui ſi in obſcœnam libidinem effluitur, coniugij facie, mœchari rectè dicitur: ideſt, falsô & fraude ementiti inſtituti vera res adulteratur. In id Apoſto.idem, Nolite, inquit, fraudare inuicem, niſi forte ex conſenſu & ad tempus, vt expeditius vacetur orationi. Tẽpus enim, inquit Eccleſiaſtes, amplexandi eſt, & tempus longe ſe amouendi ab amplexibus. Ad id præclara eſt gloſ. in ſumma cauſæ. 33.q.4. Quòd qui diebus religioſis ad vxorem accedit alia cauſa, quàm vna ex duabus, legitimis, peccat mortaliter. Id repetit & locupletat Tyraquell. lege connub.xv. nume.82. Alia ſunt quæ inter coniuges contra pudicitiam committuntur, vt tactu, verbis, blanditijs, & luxuriæ ineptijs, quæ meretricia ſunt, magis quàm honeſta, laſciuire: c.nuptia-

*Matrimonij inſtitutio, et finis.*

*Coniugum actus meretricij.*

rum.27.q.1.Inter eos enim obſeruanda eſt ea, quæ pudicitia dicitur ab Vlpiano in l.mulier, quæ duobus. §.penult.ibi, quod & mulieris pudicitiæ congruebat. ff.ad Trebell. Neq; in fœmina decorum videbitur, ſi ad coitum virum ſollicitet, etiam ſi iure matrimonij id poſſit. Lacena rogata num ad virum acceſſiſſet, non, inquit, ſed ille ad me. quo ſignificauit, commercium cum viro vxori expetendum non eſſe libidinis cauſa, ſed admittendum vt obtemperanti. Viciſsim marito ea modeſtia obſeruanda eſt, vt non abeat à Pythagorico ænigmate, quod olim iactatum eſt, neq; ſæpe homo ab homine. Præterea coniugibus id maximè obſeruandum eſt, vt palam nihil luxurientur: ideoq; inter Laconicas leges conſtitutum fuit, virum ad vxorẽ accedentem, & exeuntem ne ab alijs videretur, pudore affici. Sunt qui tradant ſenatorẽ à ſenatu motum eſſe, quòd filia præſente vxorẽ eſſet auſcultatus. Ad hæc mœchari dicitur, qui vxorem, quæ recens concepit, aut cuius vẽter iam intumuit, aut infantis nutricem, aut menſtruatã attingit.d.c.origo. vbi, imitentur, inquit D. Hiero. ſaltem pecudes, & poſtquam venter vxoris intumuerit, non perdant filios, nec amatores ſe vxoribus præbeant, ſed maritos. Hic non congero, quibus legibus ritus hi matrimoniales exercendi ſunt. lectorem remitto ad Tyraquelli legem connubialem xv. ſatis hic erit, maritum monuiſſe, vitam id genus pro ſacramẽti dignitate tranſacturum, ſi conſiderare bono animo velit cauſas, quibus illud ſacramentum inſtitutum eſt, meminiſſeq; honeſti, & præcepti diuini: tum & incommodorum, quæ maximo corporis & animæ periculo ſequi ſolent: po-

*Vxor virũ rogans.*

*Aenigma Pythagor.*

*Vxor clam adeunda.*

*Vxor quãdo nõ adeunda.*

ſtremo,

ſtremò, quàm ſit commodum ſalubre & honorificum, continenter & modeſtè agere, quamq́; ex diuerſo turpe, damnoſum, & præceps ſuo ſolo appetitu beluarum more ferri. Venus enim, ſi ei aliquid tribuendũ eſt, Venus, inquam, habet modeſtiam ſuam, habet rationem ſibi iunctam comitem, non rationem tantum, ſed rationis deum ipſum Mercurium: vt probè & appoſitè veteres depinxerunt. Non deſunt qui ſcripſerint marito licere contra vxorem obſiſtentem vim intendere: inter quos primi ſunt Cyn. & Bald. in l. j. C. de rapt. virg. Alij ſentiunt, maritum, ſi vxor malè affecta ſit, idq́; lepidè & cum gratia excuſet, mœchari vim adhibendo videri. Nam vtcunque res agatur, non puto verecundiæ nec dignitati conuenire, quicquam non iure facere: vis eſt & tunc, quotiens quis etiam ſuum non iure & ab inuito repoſcit. l. extat. ff. quod vi metúve cauſ. & l. ij. de cano. larg. tit. lib. x. C. Nec rem liberè probarunt Cy. & Bald. ſed, vt per Io. Fab. in d. l. j. nume. I. ad fin. eorum ſententia eſt, maritum, qui vim in vxorem intulit, non teneri pœna dictæ l. vnicæ. C. de rapt. virg. quæ fuit impunitæ cædis in fragranti noxa intercepti: & alioquin vltimi ſupplicij. Maritus autem ab hoc genere pœnæ exceptus prorſus ſine culpa eſſe non debet: mœchari autem dicitur. VICISIM, ſine culpa non eſt vxor, ſi maritum illiberaliter recuſet: ſi contemptim refugiat: ſi ſuperbè aſpernitur, & non niſi caperata fronte admittat. Ea enim detractatione mœchari videbitur: cùm illa, ex D. Pauli ſententia, ſui corporis poteſtatem non habeat, ſed vir: & econtrà: ita decernunt canones in c. noſſe deſideras. 30. q. I. & c. ſicut non omnis. 32. q. 2.

*Veneri ratio ſua eſt.*

*Marito an liceat vi vxorem comprimere.*

*Vxor moroſa in culpa eſt, & mœchatur.*

*Vxor in poteſtate viri eſt.*

Idq́; viua voce Dominus vxori primæ indixit, ſub viri,inquit,poteſtate eris,& ipſe dominabitur tui. Ad id Mœdea Euripidis,

*Nihil miſerius fœminis, terra omnium,*
*Quæcunq; viuunt, menteq́ vigent, edidit.*
*Primùm neceſſe eſt opibus immenſis virum*
*Emere: ſuiq́ accipere dominum corporis.*

Item & ſcitum Lacenæ, quæ cùm interpellantem reieciſſet, illeq́; inſtaret & improbaret eius contumaciam,quæreretq́; cui & quando eſſet obſecuta, puella, inquit, matri: mulier viro. Quædam ad id obſeruanda ſcripſit Petr.de bell. pert. in l.curatorem. C.de interd.matrimo. Parentes Saræ ab his ad maritum abeuntem oſculati ſunt,& dimiſerunt monentes,vt honoraret ſoceros,diligeret maritum, regeret familiam, & ſeipſam irreprehenſibilem exhiberet. Thobiæ x.

*Vxoris officiū erga virum.*

Vxoris officium eſt mariti legibus ſtare, hunc chariſsimum habere,efficereq́; obſequijs, vt ab ipſo redametur.Obſequia expreſſerunt Accurſ.& Io.Fab.in §. j.inſtit.ad Tertul. & idem Fab.in l.j.C.de bon.mater. & in l.non ſine.C.de bon.quæ liber.illa eſſe,quæ deferuntur à poteſtate, quam iure communi maritus in vxorem habet, quoad concubitum ſcilicet,& operas. De hac poteſtate ſummatim ſcripſimus in Burbon.

*Vxoria operæ in mariti rē quæ ſint.*

conſ.§.clxx. Operarum id genus quaſdam enumerat Io.And.in c.literas. de reſtitut. ſpoliat. vt vxor bonæ frugi ſit: res mariti cogitatè tractet, conſeruet, diſſolui non ferat: obſonia marito accuret: ei caput & pedes proluat: præterea in commodum eius operetur. Id poſtremum quoſdam torſit.Dicunt enim, etiàm verum eſſe cùm vxor artificio ſuo poteſt honeſtè

quæſt

quæstum facere, & tum demum potest maritus ab ea operam exigere.l.eius artificij.in princip.& l.hæ operæ.in princip.ff.de ope.lib.& l.si non sortem.§.si operas.ff.de condict.indeb. Recusantem verò alimentorum parcimonia mulctare: vt dicit Ioan. And. in d. c.literas. Sed Panormit. ibidem in fi.id moderatur, vt verum non sit,cùm dotem magnam vxor detulit, quæ suppeditet ad cultum & victum familiæ: aut si vxor eius sit dignitatis & familiæ, vt inconueniens & indecorum sit artificium exequi,cibum parare, membra mariti lauare,& cætera id genus,quæ licet iure debeantur,ipso tamen iure intercidunt: dicit tex.in l.interdum.prima.ff.de oper.liberto. cùm, & si operæ ex obligatione petantur,tamen exigi & dari solent,quales ex ætate,dignitate,valetudine,necessitate, proposito, cæterisq; paribus in vtraque persona æstimari solent.verba sunt Vlpiani in d.l.eius artificij.in fin. Albert.in l.quintus.ff.de donat.inter vir.& vxor.& Bal. in l.si vxor tua. C.de conditio.in sert.sentiunt, maritum vxori operas indicere non posse artificiales: illum verò tantum debere,vt dicunt, obsequiales & reuerentiales.facit l.sicut patronus. ibi, in officio mariti esse debet.ff.de oper.liberto. Et licet maior pars sentiat,vxori quæri,quæ ex artificio quæsita sunt. Bal.tamen properè magis,quàm considerate id controuertit,& marito lucrum defert. nec dubitauit nouam sententiam ea iactatione eleuare magis quàm asserere, quod alibi non legerit. Boerius huius meminit amplius in decis.81. in prima part. Negotium distinxit Bened.ad c.Raynutius.notula, cuid.pet.trad. numer. 99.ad opificia: idest, vt si lanicio aut pensorum tra-

*Vxoriarum operarū vera ratio.*

*Operæ officiales et artificiales vxoris.*

ctu & cæteris id genus sibi peculiaribus.& mulieri accommodis, quædam quæsierit,marito quæsijsse videbitur. d.l.sicut patronus. cum glos.in verb.esse debet. Quòd si artem vulnerariam, vt sæpe fit, statuariam, aut aliam exerceat, quæ pecuniosa sit, & quæ mulieri naturaliter non contingat, quia artem huiusmodi in officium mariti impendere non tenetur,inde quæsita sibi peculiaria iure fiunt. l.si vxor tua. C.de conditio. insert.

## DE ADVLTERIO.

*Adulteriũ verum.*



LIVD succurrit mœchandi genus, quando alteruter coniugum societatem iuratam luxuria violat, alienum concubitum deligendo. Idq; scelus olim, ob libidinosum periurium & coniunctionis tam probatæ iacturam, fœdissimum habitum est, dignumq; supplicio, tam lege diuina, quàm hominum etiam ethnicorum sanctionibus. Lapidibus enim ad mortem obruti sunt eo conuicti; cùm antea igne cremarentur: & omni eo tempore semper pœna mortis fuit. Vnde dicebat Abimelech rex Palestinorum ad Isaac, de Rebecca vxore sua,quam mentitus fuerat ob pulchritudinem, sororem suam esse, quare imposuisti nobis? potuit coire quispiam cum vxore tua,& induxeras super nos grande peccatum: præcepitq; omni populo dicens, qui tetigerit hominis huius vxorem, morte morietur.Eadem pœna datur Leuit.20. ibi,morte moriantur mœchus & adultera.infrà clarius de pœnis dicturi sumus. Dyodorus Sicul. refert ex Aegyptiorum legibus, in adulterio spontaneo deprehensum solere

*Adulteri pœna.*

*Adulter. pœna apud Aegypt.*

vergis

virgis cædi ad mille plagas:mulierem verò naſo mutilari : quòd ſi vis aderat,virilia viro execari. Exiſtimabant enim id flagitium maximum,ex eoq; tria per peti, iniuriam, corruptelam, & liberorum confuſionem. Demoſthenes in Neræam tradit Athenis morem eſſe adulterum ſolere vinciri, & apud ſexuiros deferri à conquerente, datis ſponſoribus, tum tradi accuſatori conuictum,enſe excepto, in prætorio, ſuo arbitratu tractandum. C.Iulius Cæſar libidinoſiſsimus habitus eſt, & adeo frequens adulter, vt diſtichon à militibus liberè iactatum ſit per Gallicum triumphum.

*Adulter. pœna apud Athenienſ.*

*C.Iul.Cæſ. adulter, & cucurra.*

*Urbani ſeruate vxores,mœchum caluum adducimus.*
*Auro in Gallia ſtuprum emiſti,hic ſumpſti mutuum.*

Quo loco ſumpſiſſe mutuum ſtuprum Romæ Cæſarem milites iocabantur, quòd ex tribus vxoribus, quas ille habuiſſet,prima duntaxat Cornelia benè audierat.quam pro roſtris defunctam laudauit cum Iulia amita : cæteræ verò ſtupri fama prægrauatæ ſunt Pompeia & Calphurnia. In Corneliæ locum Pompeiam duxit Q.Pompeij filiam, quam deinde repudiauit adulteratam ratus à P.Clodio,quem inter publicas cerimonias veſte muliebri ad eam penetraſſe mater Cæſaris Aurelia,& ſoror Iulia retulerunt. Et huius adulterij tam conſtans famæ opinio fuit, vt Senatuſconſulto de ſacris pollutis in Clodium ſit quæſtio conſtituta. Quo in negotio ſe modeſtiſsimè geſsit Cæſar : hic enim,cùm in reum teſtis citatus eſſet,quamuis nouiſſet matrem & ſororẽ omnia apud eoſdem iudices ex fide retuliſſe,negauit tamen,ſe quicquam comperiſſe : cumq; vrgerent iudices in cauſam diuortij,

diuortij,quòd eapropter fecisset,meos, inquit, censeo tam suspitione,quàm crimine carere oportere. Post hæc Calphurniam L.Pisonis filiam duxit vxorem. Idem Cæsar legem de adulterijs seueram & grauem conscripsit : iuuit deinde & auxit Octauius Cæsar August.nepos qui hanc,dum publicaretur,auunculo Iulio, non sibi adscripsit. Iulius idem legem suam seuerius est executus : libertum enim suum gratissimum ob adulteratã equitis Romani vxorem, quamuis nullo quærente capitali pœna affecit. Ille enim adulterijs penè obrutus, vitij tamen acerrimus vltor fuit,more hominum, qui in vlciscendis vitijs, quibus ipsi vehementer indulgent,austeri sunt,& vt dicit Velleius Paterculus, familiare hominibus est, omnia sibi ignoscere,alijs autem nihil remittere. Vicissim,solent benignius agere,qui vitijs affecti non sunt,& à quibus illa aut ætate decursa, aut fœliciore natura neglecta sunt.Claudius Cæsar Plautiam Herculanillam vxorem ob libidinum probra reiecit. Petinam denuo, ob leues quasdam offensas. Tertiò, Valeriam Messalinam, ob innumera flagitia atque dedecora supplicio affecit, confirmauitq; pro concione apud Prætorianos,quatenus matrimonia sibi malè cederent, permansurum in cœlibatu : & nisi permansisset, non recusaturum perfodi manibus ipsorum. Agrippinam tamen ex fratre neptem vxorem elegit subducto Senatusconsulto, quo tutior esset à cœlibatus prius dato iureiurando.Idem Imperator licet pudicitiæ exemplis vtcunque laudatus in adulteros mitior fuit. hominem enim corruptelis adulterijsq; famosum nihil amplius,quàm monuit, vt aut parcius ætatulæ indulgeret,

*Lex Iul. de adulter.*

*Vitiosi vitiorum vindices acerrimi.*

geret,aut certè cautius.addiditq́;,quare enim ego ſcio, quam amicam habeas?Idem ſub exitu vitæ mulierem quandam adulterij ream damnauit: quod cùm ſibi familiares & liberti commemorarent poſtridie, laudarentq́; iudicium, pœnitentis ſigna dedit connubij illiciti Agrippinæ. Sed vt ad rem tandem veniam, adulterium propriè id eſt,quod in nuptam committitur,ſiue ab eo,qui vxorem habet,ſiue ab eo,qui non habet.l.Inter liberas. §.lex Iulia. ff.de adult. Præterea Seuerus & Antoni.reſcripſerunt,etiam ſponſam adulterari, & adulterium vindicandum eſſe: quia neque matrimonium qualecunque,neque ſpem matrimonij violare permittitur: verba ſunt Vlpia. in l.ſi vxor. §. diuus. ff.illo tit.facit l.propter violatam.ibi,niſi puella violata ſponſa eius fuerit. C.eod.tit.& l.item apud. §. ſponſum. ff.de iniur. Nec quæritur iuſtáne ſit vxor, aut ſponſa: denuo,ſit pudica,nécne: quia qualis qualis ſit,etiam quantumuis meretrix,cùm vxor ſit,adulterari citra mariti iniuriam non poteſt. Nam,vt Sex. Cecilius ait,lex Iulia ad omnia matrimonia pertinet: illudq́; affert Homericum,nec ſoli Atridę vxores ſuas amant.hæc leguntur in d.l.ſi vxor.in princip.& §.primo. Stuprum etenim,inquit Marcellus, intelligitur, etiam in his mulieribus eſſe,quæ turpiter viuerent,vulgoq́; quæſtum facerent,ſi non palàm.l.ſtuprum. ff.de rit.nupt.& ibidem notanda cenſeo verba hæc, ſi non palàm: quæ neque ab Accurſ.neque à cæteris obſeruata ſunt:vt in caſu contrariò ius faciant & regulam, vt ſcilicet ſi vxorem maritus ferat vulgò & palàm quæſtum facere, leno ſit: & ideo quæri non poſſit: cùm ipſe ex lenocinio pœnam meritus recriminari

*Adulteriū proprium.*

*Meretrix qua adulteretur impune.*

& adulterium retorquere non debeat. Indignum enim eſt, inquit Arcad. Imperator, ſi vltionem pudoris præſtigia verſuti iuris excludant. l. ita nobis. de adulter. C. Excluſæ item fœminæ ſunt à ſtupri & adulterij ſæueritate, quas vitæ vilitas dignas legum obſeruatione non credidit. verba ſunt text. in l. quæ adulterium. C. eod. titul. facit l. ſi ea, quæ ſtupro. ibidem: quòd ſi clàm meretricetur vxor, neque mariti diſsimulatio obſcœna ſit, etiam ſi illam ſuſpectam habeat, in adulterum animaduertitur: d. l. ſi vxor. §. primo. alioqui nullum ferè adulterium erit pœna dignum, cùm niſi impudica adulterari non poſsit. In vidua diſsimile eſt: cùm illa, ſi ſui quæſtum, etiam non palàm faciat, impunè ſtuprari poſsit. d. l. ſi vxor. §. primo. ibi, quamuis ſi vidua eſſet, impunè in eam ſtuprum committeretur. neque enim digna videtur legis præſidio, quæ pudorem ſuum alienis libidinibus proſternit. d. l. ſi ea, quæ ſtupro. & l. fœdiſsimam. C. eod. Item, propriè adulter non dicitur is, qui ſolutam adijt, etiam vxorem habens. d. l. propter. in princip. Omni caſu autem, ſiue ſponſam, ſiue nuptam, viduam, ſiue pudicam, ſiue impudicam, ſiue vulgarem meretricem, ſiue virginem vi ſtuprare aut adulterare non licet. d. l. fœdiſsimam. Accuſare vxorem de adulterio commiſſo, ſiue durante matrimonio, ſiue antequam nupta eſſet marito, licet. l. nuptam mihi. ff. eo. non tamen vtroque caſu iure mariti, ſed tunc demum cùm adulterata eſt in eo matrimonio, cuius maritus ille eſt. d. l. ſi vxor. §. ſi quis vxorem. vxori autem accuſatio id genus permiſſa non eſt. l. prima. C. illo tit. iure tamen exceptionis hinc permiſſa eſt, contra maritum adulterij incuſan

*Vidua meretrix impune ſtupratur.*

*Accuſari vxor adult. quādo poſsit.*

*Vxor maritum adulte. non accuſat niſi per exceptionem.*

incusantem. d.l.si vxor. §.si iudex. & ea exceptione se tuetur, impunitatemq; consequi debet ex sententia. Quidam mulierem marito fide non adstringi putant, si fidem ipse non obseruet.l.cùm proponas.C.de pac. & maximè cùm vir,vt caput & exemplum vxoris,au tor esse debeat modestiæ coniugalis. d.l. si vxor. §.si iudex. Sed ea ratio adulteram vxorem nihil excusat, cùm pudicitiæ exemplum à semetipsis recipere,& exe qui teneantur, & tantum valet adulterij exceptio in virum de dote, cùm de dote propter adulterium auferenda,aut de diuortio faciendo agitur: quia his casibus compensatio turpitudinis admittitur. l.viro. & l.cum mulier. ff.sol.matri. c.ex literis. & c.significasti. de diuort.alioqui dotem perdit adulterij conuicta,& ob eam causam repudiata. Aequum est enim eam carere cõmodo & dote, quibus se docuit indignam. l.consensu.§.vir quoque. post auth. C.de repud. & c. plerunque. de donat. inter vir.& vxo.& ibi glo.mag. Præterea perdit bona parafernalia,glo.notabilis in d. c.plerunque. Quæ tamen vera sunt,si accusatio adulterij in vxorem perfecta sit, quia alio modo dotem, aut paraferna non perdit:nec sufficeret per exceptionem adulterium mulieri dotem repetenti obijcere, vt not.August.in add.ad Ange.de malefic.notul. Chai me hai adul.la mia do.num.29.

*Vxor adultera dotē perdit.*

POENA in adulteros multiplex fuit. Lege diuina apud Ozeam vij.est concrematio. Omnes, inquit, adulterantes quasi clibanus succensus. & Apocalip. xxj. Erit pars eorum in stagno,sulphure, & igne ardenti. Item & D.Pauli sententia fructu & spe vitæ æternæ priuantur. Adulteri,inquit,regnum Dei non

*Adulteri pœna secundum Deū.*

posſidebunt. ad Corinth.vij.ſuprà quædam diximus ex lege diuina, & alia Aegyptiorum, tum & Atheniensium,& ex ea quæ fuit Cæſarum auunculi & nepotis. Illa gladio expeditur in adulteros, tanquam nuptiarum ſacrilegos.l.quamuis.ij.C.de adulter. Proximũ enim homicidio crimen eſt,& ſacrilegos reputauit Imperator, qui cùm ipſi vxores habeant, non verentur alienum thorum violare,& libidine ſua diſſoluere ſocietatem, ex qua omnis neceſsitudo & naturæ & honeſtatis oritur.cumq́; grauiſsimum videretur,id lex non tantum iudicio,ſed & propria autoritate,vindice gladio vlciſci voluit.l.Graccus.& l.quod ait lex.ff.de adulte. Cum adultera nouiſsimo iure remiſsius actum eſt, cùm in monaſterium mitti iubeatur fuſtuario caſtigata: datumq́; eſt marito eam inde reuocandi ius intra biennium.auth.ſed hodie. C.eod. Veſtitum tamen religioſum induere, neque & profiteri,niſi poſt biennium licet.Boërius Burdegalæ Curio primus deciſione 297.in part.2.accuſationem deſcripſit apparitoris cuiuſdam parlamentaris in vxorem ſuam forma & ætate venuſtam,quam familiaris clericus adulterauerat: cumq́; vtrunque apud Senatum detuliſſet, ex iure priuilegij ſibi & familiæ ſuæ conceſsi, æquum viſum eſt, clericum pro commiſsis in id priuilegium grandi pecunia mulctare: communis delicti diffinitione ad vicarios præſulis ex Senatus ordine deligendos reuocata. Huius pœna erat ex canonum præſcripto, vt deponeretur, & ætatem in monaſterio agere cogeretur. c.ſi quis clericus. & c. Romanus.81.diſtinctio. & c.intelleximus. de adulter. Vxorem verò ingenuè adulterium confitentem ita

*Adult. pœna ſecũdum leges.*

*Adult. pœna ſecũdum ius nouum.*

*Adult. Burdegalæ punitum.*

damna

damnauit, vt in prætorio fuſtibus vapularet, & mox in Cœnobium ſacrarum ſororum detruderetur, in eoq; biennio exularet: dotem & donationem propter nuptias marito, in iniuriæ expiaculum, addixit: huicq; conceſsit, quando volet, illam abducere, & ſecum conciliare intra biennium: quo effluxo iudicauit ſenatus illam neceſſe eſſe veſtiri, vt cæteræ ſorores, & perpetuam religionem profiteri, ſicq; ætatem degere. Id Areſtum latum refert die 7. Decemb. anno 1527. fuſtuarium plærifq; viſum eſt, etiam ſi lege confirmetur, ſeuerius, quàm mores horum temporum ferant: conijciendumq; nihil aliud, quàm hoſtiarij familiaris vindictæ Senatum voluiſſe ſuffragari: ſed exitu rei ediuerſo actum eſt. Contigit autem, vt pronunciato iudicio, accuſatorem venuſtatis vxoriæ memorem & ſollicitum ſæuitiæ mox pœnituerit: ideo Curruca minimè malus vxoris caſum miſeratus libellum Senatui obtulit quo petijt, ius ſibi eſſe ante aresti executionem indemnem vxorem recipere: cui à Senatu reſponſum eſt, poſt fuſtes acceptos ſibi id licere, antè verò, non licere. Alibi in Francia cum adultera vſu remiſsius agi dicit idem Boër. vt detonſa veſtimentis circumciſis ad plebem per vicos traducatur, ex ſententia gloſ. in c. de benedicto. in verb. & caluatos. 32. q. 1. & ſecundum hanc, cum mihi Roddanenſi iudici in tribunali ſancti Andreæ occurriſſet vxor, marito accuſante, conuicta adulterij, iudicaui, vt eo modo traducta in Cœnobium ſororum proximum relegaretur, à marito tamen reuocanda intra biennium: qui, cum iudicio adeſſet, & huius genibus vxor ſupplex gratiam peteret, ignouit lubens, & ea

*Curruca pro prim.*

*Adultera pœna ſecundum vſum.*

causa leuiori traductione castigata roganti marito tradita est. Pœna huiusmodi noua non est, sed à mille septingentis annis Romæ vsu recepta. Cùm enim toga vestimentum virile sit, mos fuit, vt mulieres adulterij conuictæ virili toga indutæ in publicum procedere cogerentur, vt scribit Isidorus. & ad id commissum tanquam erubescendum traductio maximè apta est: olimq; apud Pisidas, Greciæ populum, ex more adulter cum adultera circumducebatur asino superpositus aliquot dies: hincq; fortè ritus nostri exierunt traductionis asinariæ, cùm vir manu vxoris vapulauit. de quibus Boër. decis. suprà alleg. & Bene. in repet. sua, verb. cuid. petr. tradid. nume. 62.

*Adultera olim Romæ quomodo punita.*

*Adulterij noua pœna.*

*Asinaria traductio.*

*Adultera excusatio.*

SVNT, qui adulteræ impunitatem expedierint consilio suo, si maritus petenti vxori ea, quæ iure matrimonij præstare tenetur, recuset: idq; excipiunt ex verbis D. August. in c. si tu abstines. 27. q. 2. Si tu abstines, inquit, sine vxoris voluntate, tribuis ei fornicandi licentiam, & peccatum illius tuæ imputabitur abstinentiæ. qui text. licet iudicem adulterarium multum possit monere, nemo tamen est, qui id consulto probet: & id reiecit glo. in d. c. si tu abstines. per text. & glo. in d. c. significasti. de diuort. Castitatis etenim commendatione debet vxor præfulgere, etiam si eunuchum, spadonem, frigidum, maleficiatum, aut aliàs malè affectum virum habeat: ergo & verius temporale impedimentum mariti, vt absentiæ, voti, valetudinis, aut difficultatum id genus prudenter & modestè ferre & retentis frenis flammam constringere debet, non laxare. c. in præsentia. de sponsal. & matrim. & c. dominus. de secund. nupt. & c. consultationi. de frigid. & malef.

*Mulieri quã sit propria pudicitia.*

malef.facit l.si quis posthumos.cum ibi not.ff.de lib. & posthu.In id eleganter in Hecyra Terent.

*Hæc ita, vti liberali esse ingenio decet,*
*Prudens, modesta, incommoda atq; iniurias*
*Viri omnes ferre & tegere.*

Hodie licet in Francia vxores adulteræ puniantur, viri tamen non æquè: & in hos vxorum accusatio non admittitur. maior enim castitas mulierum requisita est, & harum adulterium præcipua infamia lex notauit. l. palàm quæstum facere. §.fi.ff.de rit.nup. Pudicitiæ etenim lex mulieri scripta est. l.si qua illustris. C.ad officia. & quod speciosius est, pudicitiam suam vxor sine confusione prolis prodere nō potest. Vagi etenim concubitus, inquit Oldendorpius, incertam de sobole opinionem faciunt, eleuantq; curam alendi partus: & idcirco pudicitia magis mulierem decet. l. mulier. §.pen.ff.ad Trebell. Dos præterea huius non in pecunia semper, sed in pudicitia, sanctisq; & incorruptis moribus consistere debet: vt declarat Alcimena in Plauti Amphitrione. *Mulieris adulte. quàm damnosum.*

*Non ego illam mihi dotem duco esse, quæ dos dicitur:*
*Sed pudicitam, pudorem, & sedatam cupidinem.*

Laconica quædam interrogata quam dotem ferret, pudicitiam, inquit, à moribus traditam. & ea causa est, quòd dotis causa cum pudicitiæ causa adeo colligata est, vt hac amissa, illa vxori salua non sit, vt suprà diximus. Aliud, & non minus timendū est, quòd vxor adultera mortem mariti expetit, & sollicitat: vt not.glo.in l.pater Seuerinam. §.socrus. ff.de condi. & demonstr. & Tyraq.copiosè lege connub.8.nu.15.& seq. Hæc in marito adultero cessant, licet tamen non

cesset publicæ honestatis pudor, quem violare vinciq; luxuria & appetitu solo, beluarum more, in voluptatem trahi inhumanum est: vt dicit Bald. in adulteri causa, in c. super hoc. in fin. de renunciat. facit præclara ratio text. in l. vt vim. ff. de iustit. & iur. Ideo, mirum omnibus bonis hactenus visum est, eo maledicti res concidisse, vt adulteria prorsus dissimulentur: imò & ingenuè laudentur, sintq; pro industria: vt dicit Io. Fab. in §. item lex Iulia. instit. de public. iudi. quæ assertio eo perniciosior, quo Fabri autoritas maior fuit. Illo fallacissimo dicto plures sibi imponi dissimulata veri ignorantia permiserunt: nec alio etenim, inquit Plinius, pleniore lapsu erratur, quàm vbi falsæ rei grauis autor existit. Sed id maior pars cauillatur magis, quàm profert: cùm ipse Faber non asserat, sed criminetur: non probet, sed quæratur eo tempora declinasse, vt adulteriorum pœnas vsus omiserit: vt certè non omisit tantum, sed in risum facinus conuertit: adeo, vt si adulterati deridentur, vicissim adulteri extolluntur: fit enim subinde, vt, si qui deliquit non punitur, delictum huius probari videatur, solaq; impunitas malefico laudi sit. Cicero Antonium aleatorum infamiam probasse docet, quòd Lenticulam eo nomine deportatum restituisset. Sed postquam, pudicitiæ fractis regulis, alij subiere ritus, modestiaq; cœpit ludibrio, vitium gloriæ haberi: postquam continentia sine autoritate, mollitia sine pœna dimissa est: denuo honestum penuria, libido quæstu fertilissimo censeri cœpit, pessum iere vitæ honores & fructus: luxuriari, non viuere cœptum est: vitaq; ipsa prorsus desijt. At si ritus hi noui diutius probentur,

*Adulteria pro industria, ex Fab. quomodo sumendum.*

*Adulteriũ quãtum res & tempora corruperit.*

vt

vt certè probabuntur, cùm nulla sit spes aliquando defuturæ luxuriæ, continget, vt in Lymirniorum mores inclinandum sit, qui vxores communes habent: liberosq; publico sumptu alunt, donec quintum annum egressi sint: sexto autem anno ætatis, omnibus coactis conijcitur publicè, quis quemq; similitudine referat, traditurq; puer parenti eo tumultuario iudicio cognito educandus, & pro filio admittitur. Hic apertum datur argumentum deplorandi summam inscitiam nostram, infinitam malitiam, insignem contumaciam, qui non secus ac belluæ ipsæ, fero appetitu, in libidinem, & cæteros effrenes impetus diffluimus, rationis aut modestiæ legibus nihil perpensis: imo, non desunt, qui referant belluas ipsas, vt Elephantes, Leones, Ciconias, Cornices, Porphiriones, Turtures, Linces, Colombas, Aethueos, & cætera quædam alia inter se prorsus obseruare coniugalem continentiam, & coniunctionis certitudinem, punireq; adulteros & incertos coitus. Et quando conditionem nostram feris sensim subijci non erubescimus, futurum esse nemini non metuendum est, vt breui affligamur, conficiamur, conteramur malis nostris. Cumq; nemo opprimatur celerius, quàm qui nihil timet, sitq;, inquit Velleius, frequentissimum initium calamitatis securitas, non video horum futurorum malorum certiorem præcognitionem, quàm quod nemo timeat. Et erit certè tutius & sanctius ex eo somno exurgere, huicq; securitati altius non edormiscere. DEVS Opt. Max. qui nostri curam agit, quiq;, secundum ea, quæ prædixit, bonis bene euenire curat, & malis malè permittit, vindex & iudex futurus est. Honor enim eius

*Lymirniorū ritus de vxoribus cōmunibus.*

*Bestiarū obseruantia in coniugijs.*

*Dei cunctatio & grauitas in scelerū pœnas.*

iudicio, vt dignis paratiſsimus eſt, ita pœna in malos, ſi ſera, at certè aliqua & grauis. Apertis ille exemplis nos docuit, quantum poſsit, circa has vindictas, per diluuia, peſtes, famem, ſtrages, euerſiones, internecio- nes, bella, captiuitates, & cæteras ſexcentas calamitates, quarum ille potens eſt: vt & viciſsim diues gratiarum in eos qui ſequuntur & inuocant eum. Hetruriæ pri- maria ciuitas Volſcinia autoritate, opulentia, & alijs multis nominibus clara olim maximopere floruit, vbi autem in eos mores inclinauit, quibus ſtupra & adulteria impunè commiſſa ſunt, in turpitudinem corrupta decidit, paulatimq; & merito propria liber tate excidit. Sed, vt ſermonem cœptum recipiam, li- cet maleficos id genus audiamus abijſſe areſtis qui- buſdam impunitos: horumq; celeberrimum latum fuiſſe, quod ad hæc tempora denominatum eſt *larreſt des ribauds mariez:* tamen induci non poſſum, vt cre- dam in adulterij delatos & planè conuictos hæc con tigiſſe, cùm vt ſincerè & teſtato aſſerit Tyraq. eius ordinis ampliſsimi Senator clariſsimus legum con- nubialium ſuarum xiij. nume.8. nemo hactenus à cu- ria dimiſſus ſit non caſtigatus aut fuſte, aut pecunia, prout eius aut adulteratæ qualitas ſuaſit. Berberius homo, vt opinor æqui ſectator, in tractatu ſuo, quem viatorium inſcripſit, titu. de adulte. conſulit adulteria puniri. Burdegalenſis curia, areſto, quod ſuprà retu- limus, in apparitoris accuſationem, adulterum, etiam clericum ſeuerè mulctauit, grauius excepturum ſup- plicium, ſi priuilegium non obſtitiſſet. Bened. ad c. Rainutius. verb. Cuid. Petr. tradide. nume. 66. declarat id adulterium duntaxat impunitum haberi, quod commu

*Volſcinia corruptio et clades.*

*Adulteria hodie impu- nita nō ſunt.*

communi voluntate & ſponte cōmiſſum eſt,quodq́; delatum non eſt: quia ſi à marito deferatur, quantumuis vxori collibuit, puniri ſolet. Quòd ſi nolens mulier vi compreſſa eſt, etiam marito non deferente, quæſtio in adulterum decernitur, ſupplicio legis Iuliæ puniendum.

## DE ADVLTERIO *concupiſcentiæ.*



ST ET ALIVD mœchandi genus ſubtile quidem,ſed quod CHRISTI viua voce ad præceptum noſtrū productum eſt,Matth. v. Audiſtis,inquit,ille, quia dictum eſt antiquis,Non mœchaberis,Ego autem dico vobis,quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt in corde ſuo. Id Gregorius apertè declarat, ſubducitq́;, quale poſsit eſſe adulterium ſecundum perſonas concupiſcentes, in c.qui viderit.32.q.5. Homo geſtum & intentionem ad honeſtum & decorum accommodare debet,vt ſtatum,inceſſum,ſeſsionem,vultum,oculos,manus,motum: cauendumq́;,ne quid in his effœminatum,aut molle ſit. Sophocles cùm aliquando formoſum puerum conſpectum Pericli in prætura collegæ oſtenderet ad libidinem, decet,inquit Pericles, prætorem non manibus tantum,ſed & oculis eſſe continentem. Non abſimile factum Antiochi tertij, qui quum Dianæ veſtalem vidiſſet Epheſi eximia pulchritudine, ſtatim animum inde abeundi cœpit, veritus ne amoris flamma in turpitudinem efferretur.

*Adulteriū cogitationis.*

*Periclis continentia.*

*Antiochi caſta prudētia.*

*Cogitatio quomodo punitur ſecundum leges.*

LEX ciuilis id ad pœnam non probauit,ſi concupiſcens

piſcens nihil attentet, ſed ſola cogitatione exardeat, quo pœnam non mereri dicendus eſt. l.cogitationis pœnam nemo meretur.ff.de pœn. Sicut & ſeruus fugitiuus is dicendus non eſt, qui fugiendi à Domino conſilium cœpit, aut ſe facturum iactauerit,ſed duntaxat is, qui vitium mentis in ipſum factum produxit. Fur enim,adulter, aleator,quanquam ex animi cuiusq; propoſitione ſola dici poſsit, etiam is, qui rem alienam nunquam inuito domino ſubſtraxit,alienam matremfamil. non corrupit, tamen oportet hæc eadem crimina non ſecundum ſolam propoſitionem, ſed aſſumpto actu intelligi: verba ſunt Triphonij in l.fugitiuus.ff.de rer.& verb.ſignific.vbi Accurſ.in verbo,dicere.declarat vocem Domini ſuprà inſertam,vt ſcilicet, quoad Dei legem concupiſcens erret,& peccet,lapſumq; oporteat propoſiti pœnitere, cum deliberatione mœchatus ſit: idq; eſt, quod Triphonius dicit adulterum etiam animo ſolo adulterum dici, licet matremfamil. non corrupit. Et ideo dicit Accurſ. illum pœnæ infernalis reum fieri: extra pœnam tamen legalem eſſe. d.l.cogitationis. Quòd ſi cogitatione & propoſito non contentus velit tentare fortunam flammæ ſuæ & in pudicitiæ oppugnationem ſe conijciat, ea attentatione, etiam ſi non potuit effectu potiri, tanquam ex abſoluta offenſa tenetur. l.ſi quis non dicam.C.de epiſcop.& cler.Tunc enim erit verum,conſilium eum habuiſſe nocendi,factumq; attentationis ſecutum eſſe,& inde iniuriam pudicæ mulieri, aut marito, aut virgini factam eſſe, ſi per eum non ſtetit,neq; pœnitentia reuocatus eſt.l.ſæpe.§.item dubitatum.in fi.ff.de rer.& verb.ſignifi.&.l.item apud Labeo

*Cogitatio attentans punitur.*

Labeonem.§.appellare est.ff.de iniur.facit tex.in l.j.§.
sola cogitatio.& in l.qui ea mente.vbi Accursius rem
apertissimè declarat,ff.de furt.

## DE RAPTV.

His accedit raptus siue nuptæ,siue innuptæ, siue viduæ, vestalis, aut virginis: nec refert an volens,an nolens rapta sit,satisq; est,inuitis illis, in quorum potestate est, raptam esse. Imò, vsqueadeo lex ciuilis raptorem odit, vt etiam inter eas,quas rapi nefas est, sponsam collocet: illam enim inuitis parentibus sponsum abducentem ante nuptias contractas pœnæ summisit.& hæc præclarè ædicta sunt in l.vnica.C.de rapt.virgi.seu vidua. sancti.& in l.raptores.C.de episcop.& cler.Pœna autem raptoris,mors est.d.l.raptores.in fin. & quomodo notetur translatio de loco in locum vide addit.ad Angel. in tractatu de malefic.notul. Chai me hai adult. la mia don.numer.53. Item & an rapiens meretricem puniatur, vide Alexand.consil.primo. in iij. vol. Impeditur matrimonium lege ciuili inter raptorem & raptam: in auth.de rapt.mul.qui rap.nups.& d.l vna.§.sinautem. Sed id canones non admittunt: & cùm magis deferant matrimonio, quàm insectentur crimen,iustas esse nuptias inter hos volunt.c.cum causa.& c.fi.de rapto. Criminis autem accusatio nihilominus admittitur à iudicibus sæcularibus contra raptorem: soletq; damnari tam fisco, quàm parentibus, à quorum manibus fœmina erepta est. Quidam tenent pœnam esse eo casu ciuilem,& sublatam fauore matrimonij,capitalem. Idem Alexand.num.

*Raptus siue nolentis,siue volentis.*

*Sponsa à sponso rapi non debet.*

*Raptoris pœna.*

*Meretrix rapta.*

*Matrimo.cũ rapta.*

57.dicit consuluisse legalem pœnam,idest,vltimi supplicij cessare ob matrimonium,idq; obtinuisse, secundum opinionem Io. Cal.in c.fi. de rapt.& Butrig.in d.l.vnica.Hodie vsu Franciæ durat legalis pœna si parentes instent.

## DE LENOCINIO.


IS opponitur Lenocinium,quod lex non remissius coercuit. nec enim mediocriter delinquit,qui lenociniũ exercet:dicit Marcellus in l.mariti.in princi.& in §.qui quæstum.ff.de adulter.& huius eadem pœna est,quæ adulterij,l.si quis adulterium.in fi.ff.eo.tit.Grauius videbitur adulterio, quòd eo duo tantum,illo verò tres peccent:vt dicit Ang. de malef.eadem not.num.69. facit arg.l.si plures serui. ff.de iniur.

*Lenocinij pœna.*

*Lenocinium vxoris quetuplex.*

LENOCINIVM multiplex est. primò, cùm quis quæstum ex vxoris adulterio facit : quæstum autem facere de vxoris adulterio ille existimandus est, qui aliquid acceperit,vt vxorem pateretur adulterari meretricio quodam genere. verba sunt Iurisconf.in d.§. qui quæstum.

SECVNDO, Ille leno est, qui in adulterio deprehensam,mœchari cognitam vxorem retinet, nec conqueritur, etiam si quæstum non faciat, aut non consentiat. l.is cuius. §.si vir. ff.eod.titul.& l.secunda.& l. castitati.& l.crimen adulterij.C.eod.titul.Id genus lenocinij non punitur, licet lenocinium sit : punitur duntaxat in eo,quòd eius vxor impunè adulterari potest,nec auditur maritus accusans. l.si vxor. §.primo. ff.de adulter. In id præclarè Marcellus, quòd si patiatur,

tiatur, inquit, vxorem delinquere, non ob quæſtum, ſed ob negligentiam, vel culpam, vel quantamcunque patientiam, vel nimiam credulitatem, extra legem poſitus eſt.

TERTIO, Lenocinium committi dicitur à marito, ſi vxori occaſionem det adulterandi, & id ex culpa, quæ eſt grauior patientia, aut negligentia. d.l.mariti.§.quòd ſi patiatur.ibi, ſed ob negligentiam vel culpam. Et hanc lenocinij ſpeciem ſubnotauit Benedict.in repet.ſua.verb.cuidam Pet.tradid.nume.62.ex Bartol.in antiqua lectura l.ſi lenones. C.de epiſcop. audien. quàm lecturam dicit Benedictus nondum impreſſam. Maritus enim debet vxori exemplum præſtare modeſtiæ coniugalis, & pudicitiæ autor eſſe. C.diſcretionem.iij.iuncta glo.j.in fi.de eo qui cogno. conſang. & lenocinium id genus eadem ratione, qua ſuperius puniendum erit.

QVARTO, lenocinium illud obſcœnum & non ferendum reputauit lex, cùm filiæ luxuriandi neceſsitas impoſita à patre eſt. d.ſi lenones. & l.Athletas. §. primo.ibi, ſed & qui in liberis hunc quæſtum exercet. ff.de his, qui not.infa. Idem Bened.eodem loco refert ſe vidiſſe patrem lenocinij vxoris & filiæ conuictum iudicio concremari. *Lenocinium filiæ, flammis dignum.*

QVINTO, Si caupo, vel ſtabularius mancipia habeat miniſtrantia, &, occaſione miniſterij, quæſtum horum faciat, ſiue in balneis id exerceat, ſiue in diuerſorio, vt paſsim ferè fit, lenocinij pœna tenebitur: verba ſunt Vlpiani in d.l.Athletas. §.ſiue autem principaliter.& l.palàm.§.fi.ff.de rit.nup. Idq; intellige, quando negotiationum ſuperiorum acceſsione id euenit. *Lenocinium cauponariũ.*

*Lenocinium lupanariũ.* SEXTO, Cùm non acceſsione, ſed in officina & proſtibulo principaliter exercetur lenocinium, idq́; eſt ſuperiori grauius. d.§.qui autem principaliter. & d.l. palàm. in princip. Idq́; tam turpe ſcelus paupertatis prætextu excuſari non poteſt. dicit text. in d.l.palàm. §.non eſt ignoſcendum.

*Lenocinium perſuaſionis.* SEPTIMO, Vltra caſus ſuperiores, Lenocinium id maximè notatum eſt, quo ad alterius explendam libidinem pudicitia virginis, aut nuptæ, aut viduæ aſſectatur, aut appellatur. Et leno, aut lena huiuſmodi, ſiue dolo aut vi, ſiue ſuaſu abduxerit, ſiue prorſus non abduxerit, & ſuaſerit tantum, omni caſu notatur, & pœna dignus eſt.l.item apud Labeonem. §.abduxiſſe autem.& ſequentibus §§.ff.de iniur. Iure digeſtorum *Lenonis pœna.* pœna fuit extraordinaria, nec referre videbatur, an ſollicitatores alienarum nuptiarum effectu potiti ſint, aut prorſus excluſi: quia omni caſu propter perniciosæ ſollicitationis voluntatem extra ordinem puniendi fuerunt: verba ſunt tex.in l.prima. in princip.ff.de extraord.crimi. Sed Iuſtiniani conſtitutione in auth. de lenonib.§.ſancimus.certa pœna conſtituta eſt: vt ſi leno adeo curioſè venatus ſit, vt ſollicitatione ſuaſerit, & volentem ſtruxerit libidinoſo, deportandus & extra prouinciam, tanquam peſtilens & publici pudoris euerſor, eijciendus eſt.d.§.ſancimus.ibi, & ipſos lenones iubemus extra hanc fieri fœliciſsimam ciuitatem, &c. Et aliquando hac conſtitutione motus bea- *B. Ludouici cõſtitutio in ſcortationes.* tus Lodouicus Galliarum Rex anno 1225. inter plures conſtitutiones, quibus politicæ diſciplinæ ordinem confirmauit, hiſtriones, mimos, & cæteros id genus nugales homines abegit è curia ſua: tum meretri-

ces

ces publicas è ciuitatibus expelli, contumaces exutas traduci,& domorum conductores in pensionem annuam mulctari iussit.quod postremum specialiter illa constitutione fuit inhibendum, cùm lege ciuili id probatum sit: sed & pensiones,inquit Vlpianus,qui ex locationibus prædiorum vrbanorũ percepti sunt, venient:licet à Lupanario perceptæ sint:nam in multorum honestorum virorũ præsidijs lupanaria exercentur.l.Ancillarum.§.fin.ff.de petit.hæred.arg. est in l.cum interdum.ff.de instito.quæ intellige in simplicibus scortationibus: non autem in stupris, siue simplicibus,siue contra naturam,quia domus conductor puniretur vt stuprator:l.qui domũ suam.ff.de adulte. & l.prima.§.fin. ff.de extraordin.crimin. Nec in his constituendis diuus Rex Dagoberti Regis Galliarum x I. mollitiem secutus est, qui adeo luxuria diffluxit, vt cohortem muliebrem secum asportare non contentus,anno 636.fœminas venustissimas accurato delectu ad id desumptas in aliquot regni sui loca col locarit, ibi cultu regineo ad libidinem uisendas, Neronem fortè secutus,cuius iussu,quotiens Ostiam Ty beris deflueret, aut Baianum sinum præternauigaret, dispositæ per littora & ripas diuersoriæ parabantur, insignes ganeæ,& matronarum institorum loco passim inuitantium, atque hinc inde orantium, vt appelleret.

*Lupanaria sublata.*

*Lupanaria permissa.*

*Dagoberti Regis mollities.*

*Neronis delicia.*

QVOD si,vt propositum recipiam, nolens fœmina abducta sit, aut volens abducta, sed ingratis libidini exposita est,leno aut lena comprehendi debet,& omnium nouissima sustinere supplicia: verba sunt Imperatoris in d.§.sancimus.glos. id omnium nouis-

ſimum ſupplicium, mortem interpretatur, per l.vltimum.ff.de pen.

*Lenocinium nonum.*

ALIVD & octauum Lenocinij genus, Item & nonum poſuit gloſ. in c.apud miſericordem. §.crimen. 30.q. prima. quum meretrix ſcienter vxor ducta eſt, tum & quum adulterij damnata à marito recepta. quæ non ſatis probo. cùm huiuſmodi matrimonium, quod etiam cum meretrice vulgari initum eſt, non tantum canones à culpa vacare aſſerant. cap. non eſt culpandus Oſee Prophæta, ſi meretricem quam duxit vxorem.30.q.prima.ſed & probant, virtuteq; illuſtrant: c.inter opera charitatis.de ſponſalib. & matr. Item & quoad nonum maritus lege permittente poteſt vxorem damnatam recipere, & ſibi conciliare. auth.ſed hodie.C.de adult. Nec igitur ſceleratè facere poteſt, neque nomen lenonis conſequi, arg.l.Gracchus.C.eod.titul. Non dubito tamen, quin ſit lenocinio notatus, qui ſciens meretricem vulgarem duxerit, aut adulteram ſemel ea cauſa dimiſſam receperit, uelitq; aut patiatur adhuc ſordeſcere & non conuerti: vt in l.crimen.& in l.caſtitati. C.eod. Vtcunque res agatur, perſona honeſta id ſine honoris detrimento facere non poteſt: & ob cauſam hanc Flauius Domitianus Imper. equitem Romanum, ob reductam in matrimonium vxorem, cui dimiſſæ adulterij crimen intenderat, eraſit iudicum albo. Nam ea res coniugium adeo notat, vt vix elui poſſit, licuitq; ob eam cauſam liberè diuertere. Tiberius Cæſar equiti Romano iuriſiurandi gratiam fecit, vxorem in ſtupro generi compertam dimitteret, quàm ſe nunquam repudiaturum antea iurauerat. Demoſthenes in Neræam

*Leno quãdo eſt qui meretricem duxit.*

*Adultera dimittẽda et non recipienda.*

ræam docet Theogenem quendam propter vxorem meretricem ab eo ductam Areopagitico senatu reprehensum, mulctatumq; secreto & cum modestia. Ad hæc inducit Theogenem excusantem, obtestantemq; se nescisse, & deceptum esse. Sed hij duo casus satis suprà comprehensi erant. Ab his omnibus autem, semper excipe eum, qui vxorem suspectam duntaxat habet: quia licet si obscœnissimum scortum sit, maritus tamen suspitione etiam verisimili notam lenocinij non contrahit. tex. est in d.l. crimen. *Meretrix in vxorem non assumenda.*

## DE STVPRO.



TVPRVM duobus modis committitur, Primò, cum virgine & vidua: Altero, contra naturam. Id Tranquillus proagogium dicit in Nerone, à προαγωγῷ, quod nos perducere dicimus, id est, lenocinari. Præterea stuprum sæpe pro adulterio simplici legitur, vt apud Cic. actione in verrem, septima. Nocte, inquit, stupri causa, lectica in vrbem introferri solitus est, ad mulierem nuptam vni propositam omnibus, contra auspicia, contra omnes diuinas atque humanas religiones. Quæ verba satis significant, quantopere odiosum & obscœnum adulterium olim fuit. Superiorum primum est, cùm aut vidua, aut virgo stuprata est. Stupratorem autem volentis iuxta ac nolentis eadem pœna lex ciuilis coërcuit: vtrunque gladio. §. item lex Iulia. institut. de publ. iudic. & l. prima. C. de rapt. virg. & §. si autem instit. illo titul. Sed nouum ius id attéperauit, vt grati stupratores, si honesti sint, pecuniariter & extraordinem plectantur: si humiles, *Stuprum. Proagogiũ. Mulier nupta vni, proposita õibus. Stupri cum vidua aut virgine pœna.*

fuſtuario caſtigati exulent.d.§.item lex Iulia. Omni vero caſu,quo vis acceſſerit,vltimum ſupplicium flagitioſo lex ſcripſit.d.§.l.ſinautem.Inter flagitia Neronis deteſtabilia id vnum enumeratum eſt,quod ſuper ingenuorum ſtupra & nuptarum concubinatus Rubriæ Veſtali virgini vim intulit. Hodie vſus induxit, vt ſi vis abſit, virginis ſtupratori honeſto ea datur optio, vt aut ducat, aut dotet: ſecundum diſtinctionem c.primi.& c.peruenit. de adulter.& ſtupr.eaq; vera ſunt,modo ſtuprata alioquin honeſta ſit,& aliundè nihil malè audierit. Idq; fuit ex Moſis præcepto Exod.x I I.ſi ſeduxerit, inquit ille, quis virginem nondum deſponſatam, dormieritq; cum ea,dotabit eam & habebit eam vxorem. Quòd ſi pater dare noluerit,reddet pecuniam iuxta modum dotis,quàm virgines accipere conſueuerunt. Idq; ſequi fuit humanius. c.pe.& ſi.de rapt.

*Neronis ſtupra.*

*Virginis ſtupratoris pœna ſecũdum vſum.*

STVPRVM item, idq; erat alterum genus,contra naturam committitur ab his, qui cum maſculis nefandam venerem exercent. Fertur, inquit Tranquil. in Tiberio,in ſacrificando captus facie miniſtri acerram præferentis, nequiſſe abſtinere, quin penè, vix dum re diuina peracta,ibidem ſtatim ſeductum conſtupraret,ſimulq; fratrem eius tibicinem: atque vtrique mox, quod mutuò flagitium exprobabant, crura fregiſſe, Valerius Catulus Conſulari familia iuuenis ſe à Caligula ſtupratum vociferatus eſt. Idem Caligula M.Lepidum Mneſtem Pantonimũ, quoſdam obſides dilexiſſe fertur, commercio mutui ſtupri. Huius pœna gladio expeditur. l.ſtuprum. ff.de adulter.& l.ſtuprum.de rit.nuptiar. l.prima. §.fi. ff.de

*Stuprũ contra naturã.*

*Tiberij ſtuprum.*

*Caligulæ ſtuprum.*

*Stupri cõtra naturã pœna.*

extraord.crimi. & l. si adulterium cum incestu.§.stuprum. ff.de adulte.l.cùm vir nubit in fœminam. C.de adulte. & d.§.item lex Iulia. & in auth.vt non luxur. §.j. Ius pontificium id admisit c. sollicitatores. §.qui puero.distinct.1.eodem iure leuius aliquando puniuntur.c.clerici. de excessib.prælat. Secundò,contra naturam committi dicitur, quando fœminæ inuicem coeunt & corrumpuntur, eademq; pœna est. l.fœdissimam.C.de adulter. Tertiò,quando fœmina, sine vsu naturalium, ad corruptionem masculum adhibet: & vt idem delictum est,idcirco & eadem pœna.vt dicit Ang.in tract.malef.notul.Che me hai adulter.la mia do.nume.53.qui ibidem inuehit, forsitan non satis accommodè, in viduas adeo molles & luxuria liquescentes,vt se non possint cõtinere,quin famulis commisceantur,easq; vocat maledictas,& dignas reputat, quæ decollentur.huius sententiam iuuat glos.in verb. cum relegatione. in d.§.item lex Iulia. ibi,item,si fuerit stuprata. Quartò,sunt,qui addant huic sceleri contra naturam illum, qui se proprijs manibus deliberatè corrupit. per c.flagitia.32.q.7.vbi sodomita dicitur. & glo.ibidem dicit illum contra naturam peccare.

*Stuprũ inter fœminas inuicẽ coëuntes.*

*Fœmina stuprum cum masculo.*

*Vidua cum famulo stuprum.*

*Pollutio.*

HODIE sodomitæ exuruntur: de horum supplicio diximus in commentar.nostris ad consuetu.Burbo.§.ij.in glos. *congnoissance des cas à mort.* Id nephandum delictum vocat lex. item & fœdissimum, eoq; pestes,fames,terremotus,& cæteras calamitates nobis contrahi conqueritur glos.in d.§. flagitia. & in auth. vt non luxu. Idq; tantopere odit lex,vt etiam domorum,in quibus commissum est, dominos puniendos sanciat, vt stupratores.l.qui domum.ff.de adult.& l.j. in fin.

*Sodomitæ pœna.*

in fin.ff.de extraord.criminib.

## DE INCESTV.

*Incestus cū affini aut sacra virgine.*


NCESTVS est flagitium,quod cum affini, consanguinea, aut virginibus sacris committitur, siue prætextu matrimonij siue simpliciter. l.fi.ff.de rit.nupt. & l.si adulterium cum incestu.in princip.& §.stuprum. & §.incestum.ff.de adulte.In summa propriè dicitur incestus, cùm matrimonium initur illicitum siue per leges,siue per canones. d.§.stuprum. Ratio dictionis est ex cestu: Cestus cingulum erat Veneris, quo antiqui vsi sunt ad honestas nuptias: idcirco, si quæ nuptiæ honestæ non videātur,eo sacrato cingulo indignæ sunt, & ideo incestæ, tanquam sine cestu. Incestus crimen Greci anicesten vocant,vt declarat Festus.Quantum ad virgines sacras attinet, satis suprà diximus in xxij. casu matrimonij impediti, nec repeti opus est. Pœna incestus est capitalis, siue nolentibus sanctimonialibus, siue volentibus crimen fuerit admissum.l.raptores.in fin.C.de episcop.& cleric. Idq; lex delicti atrocitate maximopere notauit: vt etiam ad pœnam satis sit attentasse, etiam si consummatum non sit. l.si quis non dicam.illo tit.facit tex.in l.j.C. de rapt. virg. & id etiam Ethnici principes grauiter insectati sunt. Flauius Domitianus alioqui flagitiosissimus incesta vestalium virginum à patre suo quoque neglecta seuerè coercuit,priori tempore admissa capitali supplicio,posteriori more veteri: & cum Ocellatis sororibus, item Varronillæ liberum mortis permisisset arbitrium, earumq; corruptores relegasset, mox Corneliam

*Incestus propriè.*

*Cestus,quid.*

*Incestus sanctimonialiū pœna.*

 neliam

neliam virginem Maximam absolutam olim, dehinc longo interuallo repetitam, atque conuictam defodi imperauit: stupratoresq; virgis ad necem cedi.

ALTERVM incestus genus, quod in affinem, aut consanguineam committitur, in matrimonio sceleratum est, & multomagis extra matrimonium, vt suprà diximus, in xxv. & xxvij. impedimentis. Domitius Neronis pater, cùm omni parte vitæ detestabilis esset, & omni genere perfidiæ notatus, tandem maiestatis, adulteriorum, incestiq; cum sorore Lepida, sub excessu Tiberij reus, mutatione temporum euasit. Neronem eius filium, olim etiam, quotiens lectica cum matre veheretur, libidinatum inceste, ac maculis vestis proditum affirmant. *Incestus cũ consanguinea.* *Domitij & Neronis filij Incestus.*

## DE CONCVBINATV.



ONCVBINATVS à concubitu dictus est, & lege ciuili si nominatim permissus non est, at certè extra crimen est. & ad id Vlpianus, cum Attilicino, inquit, sentio, solas eas in concubinatu haberi posse, sine metu criminis, in quas stuprum non committitur. l. j. in princip. ff. de concub. Oportet item concubinatũ exercentes posse iure matrimonium inuicem inire. vt in §. ad hoc autem. in auth. vt lic. mat. & auiæ. Virginem quidam excipiunt, quòd cum ea stuprum committatur. l. j. C. de rapt. virg. & l. raptores. in fin. C. de episc. & cler. Martianus contrà sentijt. Alioquin, inquit, si honestæ vitæ, & ingenuam mulierem in concubinatu habere maluerit, sine testatione id magnifestum faciente non poterit. l. in concubinatu. ff. de concub. Specialiter iure *Concubinatus.* *Virgo an possit esse concubina.*

nouo concubinam vnam habere licet, & qui vnam habet castè viuit. auth.de trien. & semiss.§.consideremus, in fi. Meretricem autem, & quæ palàm quæstum fecit, quemadmodum licet in vxorem accipere, ita & in concubinam habere: d.l.in concubinatu. in princ. Nero meretricem, quæ ferebatur Agrippinæ simillima, inter concubinas recepit. Idem & nefariæ vitæ suæ nuptarum concubinatus adiecit contra iuris ordinem. Hodie, iure nouissimo, concubinatus illicitus est: vt est præclarus tex.in auth.de lenon. §.sancimus igitur omnes quidem castitatem agere: quæ etiam sola cum fiducia possibilis est hominum animas præsentare. & §.mulieres itaque castè viuere volumus & oramus. Vt non luxur.ho.cont.nat.& apertius & recentius in c.j. de fil.natu. ex matr. ad morga.cont. & hunc text.ad id præclarè inducit Bened.in repetit.sua in notula.& vxo.no.adel.nume.674.& Io.Fab.in §.j. inst.si quad.paup.fecis.dicat. Canones specialiter omnem concubitum, præter vxorium interdixerunt: nec circa concubinatum antiquas attenderunt leges.c.nemo sibi blandiatur de legib. hominum.32.q.4.hæc tractantur per Hostien.in c.lator.qui fil.sint legit.& per glos.in c.aliter.30.q.5. Idq; sanctè constituerat Aristoteles lib.politicorum vij.c.xvj.in fi. Coitus, inquit ille, omnis alterius, quàm cõiugis pœnitus sit interdictus: quandoquidẽ sit & appelletur coniux. Quod si quis deprehendatur, contra facere, pro delicto pœnam reportet. Hactenus Aristo. infertur ex his, quòd si concubina adulterata sit, concubinum accusantem non admitti. text.est in l.si vxor. in prin.& in §.planè.ff.de adult.& in l.quæ adulterium.C.eod.tit.

*Meretrix an possit esse cõcubina.*

*Concubinatus iure nouo prohibitus.*

*Concubinat. ex Aristotel. illicitus.*

SVPERIORA vtcunque ſufficient tractatui rei vxoriæ, ſtupri, adulterij, inceſtus, concubinatus. & cæterorum quibus mœchiſſatur, ſi ad exitum non omiſero, quod ſuccinctiſsimè, vt eleganter Demoſthenes in oratione contra Neream ſcripſit: meretrices voluptatis gratia haberi, concubinas ad quotidianam corporis curam, vxores ad liberos legitimos gignendos & rei domeſticæ fidam cuſtoſtiam.

# DE CRAPVLA ET SOBRIETATE.

## LIBER II.



OMPOSITE videbimur inſtituti ſeriem inſtruxiſſe, ſi ſuperioribus ſubijciamus luxus eos, quibus victu & veſtitu diffIui ſolet, cùm in his cohibendis verſetur modeſtia, & viciſsim in exercendis incontinẽtia, ex qua ſæpius emergunt ſcintillæ & igniculi, quæ in grauiores libidinis flammas, & poſtremò in plenum incendium liberius euagata, has ſolent mouere turbas, quæ ſuperiori tractatui argumentum miniſtrarunt, & quæ ſanguinem & animam concutiunt: & ab his, ſi cui (at certè huic tantum, qui frugalitatem colit) tutum eſſe contigit. A ciborum luxu ordiri æquum eſt, cùm ſuperiori magis accedat. Sentiẽdi etenim genera quinque ſunt, tactus, guſtus, odoratus, viſus, auditus. Ex his, vt ratiocinatur Gellius ex Ariſtotele, ſi quædam immodica voluptas capitur, ea omnium rerum fœdiſsi-

*Libidinis flãma ex ſcintillis.*

*Sentiendi quinque genera.*

*Tactus.* ma est. Tactus ad Venerem pertinet, & de eo suprà *Gustus.* egimus: Gustus autem ad ciborum libidinem: suntq; hij duo sensus soli hominibus communes cum bestijs: eosq;, qui duabus istis beluinis voluptatibus sese dediderunt, grauissimi vitij vocabulis Græci ἀκολάστους, vel ἀκρατεῖς appellant, & omnium iudicio in pecudum ferorumq; animalium numero habentur his ferinis cupiditatibus præuincti. Cæteræ ex tribus alijs sensibus proficiscentes hominum esse tantum propriè dicuntur. Ergo quia tactus & gustus quandam habent conuenientiam, rectè post tactum ad gustum protinus accedemus.

*Ciborum modestia.* MODESTIA est inter crapulam & inanitionem: &, vt dicit Auicenna, par peccatum est familico stomacho cibum recusare; & epulis ad fastidium confe*Abstinetia nimia damnosa.*cto cibum offerre. Corpus etenim abstinentia nimia naturali calore propter subtractam omnem humiditatem, qui substantialis non est, tandem consumitur, *Crapula quantum damnosa corpori.* fitq; putridum, & lepram contrahit. Crapula item facit, vt corpus humiditate superabundet, & adeo grauetur, vt cùm superflua regere natura non posit, in*Apoplexia ex crapula.*ducantur mortiferæ infirmitates, vt Apoplexia: quam semel conceptam, si fortis sit, soluere posibile non est: si debilis, nō facilè: vt dicit Hippocrates eo aphorismo. Ad quem Galenus, Apoplexia, inquit, post multam putrefactionem ad cerebrum rapitur, atque omnes cerebri ventriculos replet, & occupat per neruos sensibiles spiritum animalem: sic subito corpori sensus aufertur & motus: tandem humor putrefactus, qui in cellulis erat inclusus ad inferiora descendit, & sic suffocatur patiens. Neq; sobrios ferè mor-

bus

bus id genus solet adoriri, etiam si ad omnes morbos,quacunq; vtamur cautione, nati simus, legaturq; M.Antō. Verum Imperatorem, alioqui cōtinentem & parcum, Venetiæ, cum è Concordia ciuitate altinum proficisceretur, & cum fratre L. Annio Antonino in vehiculo sederet, subitò sanguine ictum eo morbo,quem Græci ἀποπληξίαν vocant,abijsse. Hunc enim morbum licet potissimum ebrietas & crapula frequens procreet, tamen casu, ictu, aut alia cerebri concussione, item & frigidi occursu aliquando contingit. Alio loco idem Galenus in eosdem aphorismos κραιπάλην vocat omnem noxam ex vino intemperantius hausto factam, quæ est, quam nos crapulam dicimus, pro ciborum immoderata voracitate. Seipsum fefellit Panor. in c.à crapula. de vit.& hone. cleric.qui asserit crapulam, quasi crudam epulam denominari. Vtcunq; sit,hactenus cuilibet compertum est,nihil esse vitæ humanæ magis noxium ea crapula, teste Domino,qui dixit,Attendite vobis ne forte grauentur corda vestra crapula, ebrietate, & curis huius vitæ, & superueniat in vos repentina dies. Luc.xxj.& Eccles.xxxvij. Noli auidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam. in multis enim escis erit infirmitas,& auiditas appropinquabit vsq; ad choleram: propter crapulam multi obierunt: qui abstinens est,adijciet vitam. Antea dictum erat.c. xxxj.Sanitas est animæ & corporis sobrius potus.Faciunt in hæc text.in d.c. crapula. in c. nec tales. circa medium, de consecrat.dist.5.in c.nihil. in fin.in c.legimus.eadem distin.in c.vinolentum. iij.& in c.ecclesiæ princeps.xxxv.dist.& ibidem in fi.prin.

*Apoplexia parci hominis.*

*Apoplexia causa.*

*Crapula vnde ex Galeno.*

*Crapulosi breuis vita.*

*Sobrietatis commēdatio.* MODESTIA, quæ inter hæc elucet, sobrietas dicitur, quæ victus cultusq; corporis rationem ita moderatur, vt ad vires & ad valetudinem referatur, tantumq; sit adhibendum cibi, quantum ad reficiendam naturam satis sit. In summa, vt inquit Tullius ad Herennium, homo sibi constituat edendum, vt viuat: non viuendum, vt edat. *Edendum vt viuas, nō econtra.* In idq; aliquando Socrates rogatus, quonam à cæteris differre se putaret, quòd ij, inquit, viuunt, vt edant: ego contrà edo, vt viuam. Animi sanè constituti ea sit perpetua opinio, non ad epulandum se productum esse, neq; eo vitam dirigere, sed existimare alimentorum causam viuendi duntaxat gratia censeri. Aristoteles lib. de virtutibus, eo capitu. quo differit, quid vnaqueq; virtus sit, Sobrietas, inquit, pronæ ad cupiditatem partis est: qua fit, vt in fruendis rebus sic versentur, prauas omnino voluptates ne appetant. *Sobrietatis officia.* Huius enim officium est, voluptatum corporis illecebras nihil mirari, nulla turpis illectamenti delinitione duci, licitis vtendi rebus, securitatem suspectam habere, & non magis, cùm ampliter, quàm cùm mediocriter suppetit, animum vitamq; laxare. *Sobrietatis comites.* Huius comites syncerae sunt & perpetuæ, ordinis conseruatio, rerum mundicitia, verecundia, prudentia, cautio. *Sobrietatis effectus.* Præterea non solum ad vitia reprimenda, verum etiam ad valetudinem commendatur: & inter medicos medicina summa reputatur sobrietas, non tantum ad sanitatem conseruandam, morbosq; præcauendos, sed ad infirmitatem curandam. Ad hæc vitæ ornamentum est, siue publicæ siue priuatim agatur: & cum mente omnia regantur, ea rectè vti non possumus helluatione impediti. quod impedimentum

tum omnibus viribus homo ſibi benè volens debet abigere, vt certè fiet, ſi, vt natura conſulit, ſimplicem cibum, qui ſufficiat, ſequamur: neque inuertamus condimentis, immutationibus, & artificioſis, pernicioſis quidem magis quàm placidis. Sed temporum corruptio eo nos produxit, vt quemadmodum medicinæ ars dicitur, & commentarijs augetur, declaratur, variaturq́; Ita & curioſiore ingenio culinæ ars inuenta eſt, coliturq́; ferculis nouis, delicijs, cōdimentis ſexcentis & in dies locupletatur: ſcriptaq́; extant huius rei nomine copioſa & ſubtilia in hominum necem: quandoquidem hæc eſt in omnibus ferè conditio hominum infœlix, vt ad circumſcribendum ſeipſos ingenioſi ſint. Laudenda merito fuit Aegyptiorum regum vitæ conſtitutio, vt conſultiſsima & vtiliſsima: His enim non tantum imperandi, iudicandi, aut pecuniæ vacandi, ſed & deambulandi, lauandi, & cum vxore cubandi, omniſq́; degendæ vitæ tempus erat præſtitutū. Cibo veſcebatur ſimplici, vitulo, & anſere. Vini potandi menſura certa erat, qua neque repleri venter, neque rex inebriari poſſet. Denique in rebus Venereis & cæteris regum vita ea continebatur modeſtia, vt non à legiſlatore, ſed à peritiſsimo medico, non ad regnandum & voluptates explendas, ſed ad ſanitatem ſeruandam & regnum diutius poſsidendum compoſita videretur. Cùm regem defunctum lugebant & laudabant, imprimis continentem, ſobrium, abſtinentem prædicabant. Strabo refert Gallorum olim in legibus fuiſſe, vt ipſi darent operam, ne obeſi, ſiue ventricoſi, fierent, punirenturq́; iuuenes, qui certam zonæ menſuram excederent. Epicurus, li-

*Culinæ artis cultus.*

*Sobrietas ex Aegyptiorū lege.*

*Galli olim ſobrietatem coluerunt.*

cet aliquando ſentierit viuendi fœlicitatem in rebus voluptuarijs conſiſtere, tamen ipſe viuendi ratione aut ediuerſo docuit, aut voluptatis interpretationem alio diuertit. Dicebat enim ſæpius, ſibi præ voluptate turgere corpuſculum: aqua & pane ad veſcendum vtebatur, voluptates & ſumptus alimentarios expuebat, non tam ipſorum odio, quàm metu incommodorum, quæ ſtatim confluebant, quibusq; corpus & animus obruebantur: idq; ſapientiſsimè Philoſophus alioquin Epicureus dixit, & factis modeſtiſsimè retulit. Timotheus Athenis clarus & ciuitatis princeps dicebat Platonis cœnas eo à cæterorum cœnis differre, quòd eæ tum delectarent, cùm diſcumbitur: illæ verò, die etiam poſtero. Cùm enim apud Platonem cœnaſſet apparatū admodum tenui, rectè exiſtimauit lautitiam menſarum præſenti voluptate tantum placere, officere verò futuris conſultationibus & valetudini: quæ ſumma ſunt incommoda principi ad reip. cautionem. Spartiatæ non tantum ſuam rempu. adminiſtrabant ſuo ſenſu, ſed & alijs gentibus conſilia dabant tutiſsima: nec alia re prudentius, quàm victus parcimonia, quæ ſalubrium conſiliorum certa parens eſt. Et ad id ſpartiata Leontichidas primus cuidam percontanti, quænam erat cauſa, cur illi tam parce biberent, Ne, inquit ille, pro nobis alij, ſed nos potius pro alijs conſultemus. Principi, ea cauſa, quòd eum reip. curam gerere, & conſilio & prudentia fulgere oporteat, ſobrium eſſe non tantum vtile, ſed neceſſarium eſt: alioquin eius imperij ſtatus diu conſiſtere non poteſt. Huic, ſi regnare deſiderat, tum maximè eſt vigilandum, cùm eius plebs genio indulget: ipſi

*Sobrietas Epicuri.*

*Platonis cœna.*

*Spartiatarū abſtinentia.*

*Sobrietas quam principē deceat.*

ipsi verò nunquam genialiter viuere vtile aut decorum erit. Epaminondas Thebarum dux ea prudentiæ parte multum valuit, eiusq; extant sobrietatis scita, quæ ad exemplum pertinent. Vocatus ad cœnam à vicino, quùm reperisset apparatum luculentum, ægrè passus est, moxq; discessit spretis obsonijs, hoc scommate comessatorem palàm prosecutus, huc veni, quòd te sacrificare putarem, non deliciari & illudere. Cùm aliquot dies Thebis compotationibus & libidini plebs indulgeret, ille sui & suæ curæ memor abstinuit solito continentius: cumq; occurisset familiaris duci pulchrè scallido & diligenter cogitabundo, mirariq; diceret, quòd in hunc modum dux & ciuitatis luxuriantis princeps incederet. Vobis, inquit ille, satis sit licere ebrios esse ac diffluere: meum est interim vigilare cautius. quo præclarè exhibetur principi quantum sibi liceat, quantumq; curæ sit. Romuli continentiam, qui succedendo secuti sunt, regnum conseruarunt & auxerunt ad iustum imperium. Sed vbi sceptro tantum, non moribus succedi ceptum est, pessum ijt regis nomen & regnandi ius. Ille enim ciborum parcissimus fuit, & ad cœnam aliquando vocatum quùm minimum bibisse deprehendissent conuiuæ, & palàm dicerent, excusauit, quòd postridie negotium haberet: qui cùm addidissent, vinum vilius fore, si ad eius exemplum cæteri bibant, Imò, inquit ille, Carius erit, si quantum quisque volet bibat. Ego enim bibi quantum volui. Quandiu ille regnauit, vini vsus fœminis prorsus fuit interdictus: & ad id Plinius secundus, Inuenimus, inquit, inter exempla Mecennij, vxorem, quòd vinum bibisset è dolio interfectam

*Epaminōdæ continentia.*

*Romuli abstinentia.*

*Mulieres abstemiæ.*

ctam à marito fuisse,eumq; cædis à Romulo absolutum. Numæ Romuli successoris extat lex Posthumia in hæc verba, vino rogum ne respergito. quam declarat idem Plin.lib.xiiij.ca.xij. Inuidia non caruit oratoris Demadis in Phocionem principem obiurgatio tenuis prandij apparatus, qua dicebat se demirari Phocionem rempub.administrare, cùm tam vili pranderet. Nimirum si Demades alioquin eloquens & bonus orator luxui deditus Phocionis probi & sapientis principis mores dedignatus est:nemo enim ferè solet alienos mores probare, sed ex suis semper æstimare. Idem Phocion sobrietatem adeo coluit,vt filium in hac sibi successorem & similem fieri voluerit, & satagerit. Huic cùm filius obsonia plura solito coemisset,improbauit, præcepitq; minis acerrimis, ne plura,quàm naturæ continenti essent necessaria ingurgitaret, alioqui pœnas esse luiturum. Socrates solebat frequenti & serio sermone loqui & disputare de victu: idq; facturus præfabatur se non de paruo negotio aut de re mediocri disserturum: remq; existimabat & iudicabat esse maximè vtilem & vitæ humanæ admodum necessariam, sobrietatemq; & cibi continentiam initium & fundamentum ad rectè & sapienter viuendum, siue priuatim,siue publicè:& vicissim crapulam vitiorum omnium argumentum producere & calamitatum causas dare. Idem apud Xenophontem,post longam ratiocinationem de sobrietate,eo vtitur epilogo. Quid enim,inquit,O Enthideme interest inter hominem incontinentem & belluam? Nam quicunque ea, quæ optima non sunt cogitat,voluptuaria vult exequi,quid à pecudibus differt?

*Lex Romu. Posthumia.*

*Phociōis frugalitas.*

*Socratis de sobrietate disputatio.*

fert? Hactenus Socrates. Hominis prudentis non est,imò prorsus non hominis est,ventrem colere beneficiorum acceptorum ingratissimum & qui semper plura sibi iusto postulat,& huius immoderatæ libidini obsequi beluarũ est proprium,qui solo appetitu ducuntur. Nec abs re fictum esse puto Circem idcirco homines quosdam deuios & aliquot dies libidinosè ab ea nutritos in sues conuertisse, quos suina natura esse vescendo cognouisset: Vlissem verò, abstinentia sua, & Mercurij consilio, hominis speciem suis moribus dignam retinuisse. Androcides sapientia clarus Alexandri intemperantiam cohibens huic scripsit in hæc verba. Vinum potaturus Rex memento te bibere sanguinem terræ. Sicut cicuta homini venenum est,sic cicutæ vinum. Ad quæ Plinius secundus,his præceptis,inquit,si Alexander obtemperauisset,amicos in temulentia non interemisset.Prorsus vt iure dici posit, neque viribus corporis vtilius aliud, neque aliud voluptatibus perniciosius, si modus absit. Vino & cibo temperato vires corporis & animi iuuantur, pudicitia conseruatur, ira coërcetur: copiosiore læduntur, conteruntur, præuertuntur: & ad id vetus est prouerbium, Vino sapientiam obumbrari. Et quia vini potus solet ad insolentiam impellere,etiam ingenuos, Chartaginenses pugnaturi solebant ab illo abstinere: id refert Aristoteles libr.œconomicor.primo.cap.v.Sexcentas clades vino obrutis euenisse reperias,siue ducibus,siue militibus: hasq́; vt improuisa magis feriunt,ea grauitate acceptas,vt vllæ reparationi nusquam spes fuerit.Imperatoribus item & regibus, quemadmodum sobrijs benè contigit, sic

*Ventris ingratitudo.*

*Circei sues.*

*Vlisses abstinens.*

*Vinum,sanguis terræ.*

*Vini effectus secundum modũ, quo assumitur.*

& ediuerſo helluonibus & crapula deditis infœliciter ſucceſsit. Externa exempla liberiore ſtylo, quam noſtra, licet ea fortè non deſint, adducturis nullum aliud occurrit ſpecioſius quàm Alexandri ipſius, qui quum Africam, Europam, & Aſiam tot cladibus miſcuerit, neſcias in huius conſiderando furore ſatis dicere, fortunæ an virtuti tribuendum ſit, quod de eo traditum eſt. Huic enim totus orbis parum fuerat, niſi & idem fatum, quòd iuueni furioſo morem tantopere geſſerat, & in tot rebus proſperis indulſerat, effrenem ambitionem, ſeu magis rabiem retinuiſſet, longæuitate negata. Ille enim vt primùm curis inſtantibus laxatus eſt, militarium laborum, quàm pacis ſiue otij patientior, eum intercepère voluptates: & quē hoſtium arma non confecerant, quaſſarunt delitiæ, profuſæ menſæ, greges ſcortorum, ludorum illectamenta, & cætera contra priores ritus effecère, vt non ſolum ſeipſum corruperit, ſed & populares animos & oculos offenderit, ita vt amicus pro hoſte cœperit haberi, & qui imperium pati ſolebat, reſtiterit: milites item diſciplinæ ſuæ tenaces, ſolitosq́; prius parco victu ad naturæ duntaxat conſeruationem defungi, prorſus ea barbara vita mutati ſunt. Alexandrum his nouis moribus obrutum magis quàm delectatum cœpere adoriri in caput eius inſidiæ, militum deſertio, iræ, ſuſpitiones: & denuo natus annos triginta, plus minus, poſt aliquot aliàs leuiores victorias occidit, nullo ſucceſſore certo eius cognito. Tyberius Cæſar adeo popinationem à tyrocinio coluit, vt pro Tyberio Biberius dictus ſit. Deinde princeps non erubuit noctem continuumq́; biduum epulando potandoq́; conſumere.

*Alexandri fortuna.*

*Alexandri virtus quãdo corruit.*

*Tiberij Cæſaris ĩgluuies.*

mere. Nec id ſibi ſatis fuit, nam & obſcœnam conſuetudinem & helluationem cæterorum adeo probauit, vt quos cognouiſſet inſignes manducones & compotores, vt Pomponium Flaccum & C. Piſonem, amicos iucundiſsimos dixerit & honorarit viuens prouincijs decretis. Ignotiſsimum item quæſturæ candidatum nobiliſsimis antepoſuit ob epotam in conuiuio, eo propinante, amphoram. Inter eius turpitudines id à Tranquillo ſubnotatur, Imperatorem apud Sex. Claudium libidinoſum & prodigum ſenem cœnaſſe nudis puellis miniſtrantibus. Quomodo obierit inter ſcriptores non conuenit, cùm alij veneno: alij morbo, ob fremitum ex re præter dignitatem imparatoriam audita, confeſtim recepto: alij ob cibum denegatum: alij iræ intemperantia: alij derelictum iacentem vocatis miniſtris, ac nemine reſpondente conſurrexiſſe, & ad lectulum ſtantem & debilem concidiſſe ſcribunt. Vtcunque ſit, ignominioſè & ingenti omnium gaudio id accidit, vitamq; eius deteſtata plebs cadaueri Gemonias ſcalas obſtinatè ſollicitauit. Nec tam obſcœnos ritus à prædeceſſore Octauio Cæſ. Auguſto recepit, qui vt ipſe continentiſsimus fuit, ita & crapulæ ſeueriſsimus vltor: cùm enim ad eum aliquando delatum eſſet Erotem Aegypti procuratorem magno emiſſe coturnicem prorſus inuictam, & ſemper in prælio viſam omnes ſuperaſſe, & eam aſſam deuoraſſe, iuſsit adduci hominem, & ſtatim malo nauis affigi. Cenſuit enim eum, qui ob gulæ voluptatem aui tam bellicoſo non pepercisſet, eſſe indignum, qui diutius viueret. Idem paucis admodum ad conuiuium inuitantibus

*Cœna Tiberij miniſtrātibus puellis nudis.*

*Auguſtus continens et crapulæ vltor.*

non aſtitit: ſolebatq; parcè cibum ſumere, & conuiuia etiam quotidiana non dedignari. Tradunt Romæ aliquando exceptum à quodam, cœna, quàm deceret, ieiuniori, dimiſſum æquo animo ſordes inuitatoris tuliſſe, idq; tantum illi, cum abiret, inſuſuraſſe. non putabam me tibi tam familiarem. Tyberio moribus perditiſsimo ſucceſsit Caligula eo vitio offuſior. Hic enim commentus eſt nouorum ciborum & cœnarũ portentoſa genera, vt calidis frigidiſq; vnguentis lauaretur, preçioſiſsimas margaretas liquefactas ſorberet, conuiuis ex auro panes & obſonia apponeret: vulgoq; iactabat oportere hominem frugi eſſe, aut Cæſarem. Valetudine neque corporis neque animi conſtitit: & vltra comitialem morbum, quo vexabatur, mentis valetudinem grauiſsimam ſenſit, adeo vt aliquando ſecedere ob purgandum cerebrum deliberauerit. Nono Calend. Febr. hora ſeptima aliquantum cunctatus an ad prandium ſurgeret, marceſſente adhuc ſtomacho pridiani cibi onere, tandem ſurrexit & domum egreſſus à coniuratis nobilibus traiecto pectore & maxilla diſciſſa occubuit, iacenſq; triginta vulneribus confectus eſt.

*Caligula prodigioſa crapula.*

*Caligulæ valetudo ex crapula.*

CLAVDIVS Cæſar, licet diui titulo honoratus, moribus tamen deſpectiſsimis fuit: cibi & vini quocunq; tempore appetentiſsimus, nec temerè vnquam triclinio abſceſsit niſi diſtentus & madens: ſolebatq; ſupino & per ſomnum hianti pinna in os immitti ad euomendam crapulam. Ille boleto medicato, cuius cibi auidiſsimus erat, per Agrippinam oblato ſtatim obmutuit, & tota nocte doloribus excruciatus tandem defecit.

*Claudij Cæſaris crapula.*

NERO

NERO multo abiectior,& prorſus vitiorum exemplum,epulas è medio die ad mediam noctem ex more protraxit: eo penuriæ decidit, vt ſupplicium vitæ ſuæ dignum fugiens ſiti correptus aquam ex ſubiecta lacuna egrè poturus manu hauſerit, & in hæc verba pœnitens,& hæc eſt,inquit,Neronis decocta: repererat enim,vt aqua decocta gratiam haberet crudæ,immiſſa in poculum niuæ: fameq́; & iterum ſiti interpellante ei panis ſordidus oblatus eſt cum aqua tepida. Deinde ſentiens equites appropinquare, quibus præceptum erat, vt viuum attraherent ad pœnam, quæ ſibi parabatur, ferrum iugulo adegit, ſeq́; infelix turpiter occidit,ab omnibus dimiſſus,& quem nemo iuuit ope aut conſilio gratiore poſt exercituum & prouinciarum defectiones,quam quidam ex familiaribus hac perdita,eo tamen homine digna voce, vſq; adeo ne mori miſerum eſt? Tranquillus in Tyberio ſcripſit illum inimicos ſuos ſubornato odio iudicatos fame necaſſe, Neronem non ipſum quem ſuprà deſcripſimus,ſed Tyberij ex Germanico nepotem in Pontia, & Druſum Neronis huius fratrem in ima parte palatij. Druſo autem alimenta adeo ſubducta, vt tomentum è culcitra tentauerit mandere,cum amborum reliquiæ in conuiuijs adeo diſperſæ antea eſſent,vt vix quandoque colligi poſſent.

*Neronis profuſa helluatio ad penuriam retorta.*

*Fames ſumma.*

SERGIVS GALBA, cibi plurimi fuiſſe traditur. Solebat enim couuiuari incipere hiberno tempore ante lucem: & ea laſciuia adeo contemptus & exoſus eſt, vt cum ad cædem quæreretur in exercitu, arceſſerenturq́; milites ad auxilium,nemo nō ſpreuit nuncium. Iugulatus eſt, & ſolus relictus donec gregarius miles

*Galba crapula.*

à frumētatione rediens, abiecto onere, caput ei amputauit, & inserto per os pollice ad Othonem detulit.

*Vitellij Cæs. voracitas.* VITELLIVS CAESAR non profundæ modo sed sordidissimæ gulæ epulas quadrifariam primus dispartijt in ientacula, prandia, cœnas, & comessationes: & omnibus se sufficientem parabat vomitandi consuetudine. Famosissima cœna ad memoriam huius temporis traducta, est ei à fratre parata, in qua duo millia lectissimorum piscium, septem millia auium apposita traduntur: in hac scarorum iocinora, phasianorum & pauonum cerebrella, linguas phænicopterum, Murenarum lactes à Carpathio frenoq; Hispanico per nauarchos ac triremes petitarum apposuit. Tandem cùm sola sæuitia & voracitate imperaret, interceptus à suis est, & cum magno dedecore tractus per vrbem Romam publicè nudus, erecta coma, & capite eius subiecto ad mentum gladio stercore obuoluto, postremò apud Gemonias scalas minutissimis ictibus excarnificatus atq; confectus est, & inde vnco tractus in Tyberim. Duos successores habuit Vespasianum, aut filium eius Titum omnino absimiles, hisq; diuersè accidit. *Vespasiani sobrietas.* Horum prior Vespasianus ob sobrietatem valetudine prospera vsus est, ad quam tuendam, inediam plurium dierum exercere assueuerat: & hac modestia imperium diu tenuit & locupletauit. *Titi Luctus.* TITVS verò conuiuia iucunda secutus est, magis quàm profusa. Eius mors præmatura ab omnibus publicè multum lucta est: laudesq; defunctus tantas habuit, quantas viuus, præsens ipse aut alius accipere potuisset etiam per adulationem. *Domitiani vitiosi mores.* Irrupit in pristinos mores Domitianus, qui frequenter & largè,

largè,clàm & palàm conuiuari solebat. Factus est valetudinarius abundantiori comessatione, deformis & macer. Parthenij cubicularij proditione à suis occisus est, communi omnium lætitia, vt etiam in corpus eius sæuitum sit dedecore exportationis & ignobilis sepulturæ. Huius morte Imperatorum deformiter imperantium sæuitia interruptè finem cœpit, ventumq́; est ad moderatissimos Imperatores, Neruam Cocceium, Vlpium Traianum, Aelium Adrianum, M. Antoninum Pium, M. Antoninum Verum, L. Annium Antoninum, Aelium Pertinacem, & alios complures, quos hîc non commemoro, ne historia magis, quàm instituto nostro charta compleatur. Cùm etenim clementia & benignis moribus, siqua alia re, imperium retineatur, sæuitiaq; dissoluatur, cura & sollicitudine & bono consilio regatur, temeritate deficiat, voracem, crapulosum, helluonem, & ingluuiosum nemo probabit illa consequi, quæ ad regnandum digna sunt: & cùm his moribus ad belluam & naturam ferarum accedat, necesse est eum ferum, inconsultum, & improuidum esse: neq; magis hominum regno dignum, quàm brutum ipsum. Rarò & vix accidit, vt qui parcus fuerit, sæuus aut inconsultus visus sit, præter Iulianum Seuerum Imperatorem: hunc ferunt parcum admodum, attamen sæuum inter cæteros, vt nouum quoddam & contra naturam: quæ sæuitia à nomine, aut seueritas potius dicenda fuit: aut cum Macrobij Syro dicendum, sæpius eum, cui plus liceat quàm par sit, plus velle quàm liceat. summis etenim magistratibus in summa peccandi licentia se continere arduum & difficille pro Platonis

*Imperatores moderatissimi.*

*Requisita in principe.*

*Iulia. Seuerus parcus & sæuus.*

*Impotentia principu frequens.*

tonis ſententia: meritoq; antiquitas eos, qui modeſtiam videbantur ſecuti, magis quàm poteſtatem explicuiſſe Diui titulo inſigniuit, quod ita vixiſſe diuinum & pluſquam humanū videretur. Vnde illa Neronis acerba vox, cùm enim tanto potentatu elatus, & ſucceſsibus ſuæ voluntatis inflatus nullum amplius adhiberet delectum, aut modum cupiditatibus, flagitijs, & quoſcunq; libuiſſet, quacunq; de cauſa interimendi cōſuetudini eſſe, ſuſpicareturq; id nouum quibuſdam videri, negauit deceſſorum ſuorū quenquam ſciſſe, quid ſibi liceret. Præterea ſæuitia etiam citra intemperantiam aut poteſtatis licentiam ex ingenij præſtantia ſæpenumero profluxit, cùm inde aut virtutes maximæ, aut maxima vitia producantur: vt ex Plutar. not. Zaz. in l. ij. verb. omne nefas. ff. de orig. iur. Curioſe non congero, quas libidines crapula protulit ad portentoſam luxuriam. Quas, etſi inſtituto ſatis conueniant, tamen quia priore tractatu magis aptè conſcriptæ ſunt, hic attingere viſum nō eſt. Adijciam crapulam hanc impunitam lege ciuili non haberi: nam licet temulentus delicti in perpotatione commiſsi leuius puniatur, attamen tam ex delicto ipſo, licet remiſsius, quàm ex crapula pœnam expectet. l. reſpiciendum. §. delinquunt autem. ibi, Impetu, cum per ebrietatem ad manus vel ad ferrum venitur. ff. de pœ. Item, & non cuilibet, vt volet, liberè veſci permiſſum eſt. Perſæ ex lege ſcripta cibi & potus continentiam obſeruabant, idq; attentius, quod ſeniorum exemplo iuuabantur, quibus ſecundum ætatem & dignitatem ciborum ratio definita fuit. Pueris pro cibo panis, pro obſonio naſturtium, & ad potum vaſculum, quo è flu

*Neronis acerba vox de impotētia principis.*

*Ingenio præſtās aut virtute, aut vitio præcellit.*

*Crapulæ pœna.*

*Leges ſumptuariæ.*

è flumine aquam haurirent,fuit. Ideo commendantur ab omnibus Cyri regis virtutes, qui cùm forma speciosissimus esset, natura humanissimus,institutione modestissimus, disciplinæ & honoris ad hæc studiosus: horum omnium gratia prorsus refertur educationi,quam ille à teneris annis ad leges Persicas conformauerat.Ex Varrone & plerisq; medicorum Philosophorum refert Gellius lib. Atticar.noct.iiij.cap. xix.compertum esse pueros impuberes,si plurimo cibo vtantur nimioq; somno, hebetiores fieri, & hinc elici tarditatem, corporaq; fieri improcera & minus adolescere.Romæ simplicitas in cibis capiendis olim fuit certissima index humanitatis & cõtinentiæ, cùm epularum vsus simplex & modicus esset, non licuit, nisi palàm conuiuari, neque cibos alios apponere, quàm eos, quos oculis populi non esset erubescendum,frequentior erat apud eos pultis vsus,quàm panis: sic, inquit Valerius, salubritatem suam industriæ certissimo ac fidelissimo monimento tuebantur: bonæq; valetudinis eorum quasi quædam mater erat frugalitas inimica luxuriosis epulis, & aliena nimiæ vini abundantiæ, & ab omni immoderato veneris vsu auersa. Idem Gellius lib.xv.cap.viij. quædam ex oratione Phanorimi veteris oratoris de cænarum atque luxuriæ exprobatione refert. & lib.ij.cap.xxiiij. inscripto de vetere parcimonia, Antiquas leges sex, edictum vnum, & Senatusconsultum vnum enumerat. Senatusconsultum C. Fannio & M. Valerio Messala Coss.factum est: eoq; iussi sunt principes ciuitatis, qui ludis Megalensibus antiquo ritu mutitarent,idest mutua inter se conuiuia agitarent, iurare apud Coss.

*Cyri summa virtutes.*

*Pueri cibo plurimo hebetantur.*

*Romæ mores circa victũ.*

*Senatuscons. sumptuariũ.*

verbis conceptis nõ amplius in singulas cœnas sumptus esse facturos, quàm tricenos vicenosq; æris, præter olus, far, & vinum: neque vino alienigena, sed patrio vsuros: neque argenti in conuiuio plus pondo, quam libras centum illaturos. Post id successit lex amplior, quæ dicta est Fannia. Hæc ludis Romanis, plebeijs, & saturnalibus, & alijs quibusdam diebus, in singulos dies centenos æris insumi concessit, decemq; alijs diebus in singulis mensibus tricenos: cæteris autem diebus denos. Lex deinde Licinia lata est eaq; superiori addidit, vt nuptijs ducenos impendi liceret: cæteris diebus statuit tricenos, cùm & carnis aridæ, & salsamenti certa pondera in singulos dies constituerit, quæcunq; essent ex vite, terra, arboreq; promiscuè indefiniteq; indulsit. Postea Cornelia rogata est a Silla dictatore, cum, superioribus sanctionibus vsu intermissis, seu senio & situ obliteratis, plæriq; in patrimonijs amplis profusius helluarentur, proluerentq; prandiorum gurgitibus pecuniam suam: cauit ille, vt Calendis, Idibus, nonisq; diebus ludorum, & ferijs quibusdam solennibus sestertios tricenos insumere ius esset: cæteris autem alijs diebus omnibus non amplius ternos. Aemilia lex inuenitur, qua non cœnarum sumptus, sed ciborum genus & modus est præfinitus. Item & alia Antia, qua vltra sumptus definitionem magistratibus non licuit passim & omnibus sui copiam ad conuiuandum facere, sed tantum certis personis inuitantibus. Postremò, lex Iulia, qua pro festis diebus ducenti statuuntur: Cal. no. Idib. trecenti: nuptus & repotijs idest comessationibus, quæ septimo die post nuptias fiunt, & quas *rebutz* dicimus, HS. millies

*Lex Fannia sumptuaria.*
*Lex Licinia.*
*Lex Cornelia.*
*Lex Aemilia.*
*Lex Antia.*
*Lex Iulia.*

millies esse. Augustus edicto quodam, vt luxuriæ efferuescentis æstus coerceret, quædam eadem ferè statuit. L. Annius Antoninus Imperator, quem mirari facilius quisquam, quàm laudare posset, à principio vitæ tranquillissimus, adeo vt ab infantia vultum neq; ex gaudio, neq; ex mœrore mutauerit, cùm incōtinentia omnes gradus laborare nouisset, & mutuens ne crapulæ libertate, suppressis honestis moribus, pessum irent modestè viuendi ritus, legem comessationibus dedit, præscripsitq; simplicibus simpliciter viuendi formulam, clarioribus viris permisit, vt conuiuia eodem cultu, quo Imperator ipse, & ministris similibus exhiberent, vt refert Eutropius. Accurs. in glo. in l. seruis vrbanis. in verb. cibarijs. ff. de legat. iij. notauit rusticos nōn debere nutriri pullis, sed pane, allijs, cepis, caseo, & fabis. Item, & canones vetant ad venialis peccati præceptum, ne pauperibus cibaria deliciosa parentur. c. nunc autem. 25. dist. prope fi. Id amplius persequuntur docto. in l. maritum. ff. solu. matrimo. & maximè Ange. & Ioan. de Imo. in l. Nesennius. §. fi. ff. de re iudica. Victus enim ratio & cibariorum præscriptum ex qualitate & dignitate personarum pensatur. l. secundum dignitatem. ff. de administrat. tut. & l. j. §. mulieri. ff. de vent. in poss. mitt. facit c. non coguntur. 41. distinct. & c. fin. 19. distinc. Hic cursim quasdam commemorabo simposiorū leges Græcas, quarum prior fertur. ἢ πῖθι, ἢ ἄπιθι. Item, & illa, ἢ πέντε πίνειν, ἢ τρία, ἢ μὴ τέτταρα. Denuo & tertia, μίσω μνάμονα συμπόταν. & alia prouerbialis & faceta ὕδωρ ἢ πίνων χρηστὸν οὐδὲν ἂν τέκῃς. His autem & alijs ab Alcibiade in Platonis quodam conuiuio emissis datus est locus amplus crapulam commendan

*Edictū Augusti sumptuarium.*

*Lex Annia.*

*Rusticorū cibaria.*

*Leges symposiorum.*

*Ebrietatis laudatores.* mendandi: ſuntq́; qui liberiori ſtylo ebrietatem laudarint declamationibus publicis, ſed id quidem apud ſobrios auditores, quibus liberum fuit reijcere aut admittere, quæ experiundi ingenij cauſa declamata ſunt. pro coronide ſubijciam D. Auguſt. verba, quibus certiſsimis coloribus ebrietatem depinxit. *Ebrietatis deſcriptio.* Ebrietas, inquit ille, eſt flagitiorum omnium mater, culparumq́; materia, radix criminum, origo vitiorum, turbatio capitis, ſubuerſio ſenſus, linguæ tempeſtas, procella corporis, naufragium caſtitatis, amiſsio temporis, voluntaria inſania, languor ignominioſus, turpitudo morum, dedecus vitæ, honeſtatis infamia, animæq́; corruptela.

# DE LVXV VESTIMENTORVM ET CVLTV CORPORIS.

## LIBER III.



CVM innumerabilia videantur incontinentiæ & luxuriandi genera, horum nullum aliud videri poteſt, quo magis à modeſtia diſcedatur, quoq; grauiore caſu demergamur, quodq́; ſuperioribus propius accedat, quàm id, quod cultu corporis, luxuq́; veſtiendi exercetur. *Cultus corporis.* Nimirum, hæc eſt infœlix hominum conditio, vt libidini nullus futurus ſit finis: cùm in potiundo magis accendantur, quàm ſatientur: *Libido cultus hydropica.* &, vt inquit Horatius, creſcit indulgens ſibi dirus hydrops, nec ſitim

pellit.

pellit. Et cùm cæteræ voluptates aliquando aut valetudine, aut ſenio, aut aſsiduitate langueſcant, hæc certè, de qua acturi ſumus, magis ac magis ſolet increſcere: & quamlibet in tenuem immiſsa tramitem latiſsimè euagandi ſibi viam facit,& vbi ſemel à modeſtia in luxum id genus declinatum eſt, effrenatè effluitur, nullaq; compendij ratione perſpecta enorme & infinitum malum eſt. In id præclarè Plinius, dum inde inuehit veſtimentorum ornamenta & margaritarum luxus comprehendi, vnde & ciborum delitiæ excipi ſolent. Parum ſcilicet, inquit, fuerat, in gulas condi maria, niſi manibus, auribus, capite, toto denique corpore, à fœminis iuxta uiriſq; geſtarentur. Quid mari cum veſtibus? quid vndis, fluctúsve cum vellere? Non recipit hæc nos rerum natura, niſi nudos. Eſto, Si tanta ventri cum eo ſocietas, quid tergori? Parum ſit,niſi qui veſcimur periculis, etiam veſtiamur.

*Veſtimentorum vt ciborũ luxus.*

AD corporis velamen veſtimentum neceſsitas reperit,quod ſubinde corrupit voluptas.Fecit primum Deus Opt.Max.Adæ & vxori eius Euæ tunicas pelliceas, & induit eos.quo in opere, quantum homini conſultum ſit,nemo non videt: cùm nulla alia re accommodatius ille velari & minoris contegi poſsit. Et ne circa id mœcharetur, lanam & linum lege ſua ſummus ille naturæ princeps à veſtimentis excluſit: extatq; lex, ſi non huius viua voce, at certè præcepto publicata inter leges Deuteronomij, quæ hoc titulo, & his verbis adſcriptæ ſunt. Hæc ſunt præcepta atque iudicia,quæ facere debetis in terra.Lex autem inter illas hęc eſt. Non indueris veſtimento, quod ex

*Veſtimentorum ratio à Domino.*

*Lana & linum prohibita.*

lana linoq; contextum eſt. Fœliciter quidem cum rebus humanis ageretur, ſi huic legi parendum ſit, vt certè eſt,& non ad lanam & linum luxu tam immoderato effluendum. Præpoſtere,lege prorſus omiſſa, eo paulatim peruentum eſt,vt quæ neceſsitas induxit, in voluptatem tracta ſint:nec ſufficere viſum eſt Aegyptiorum,qui primi textilibus vſi ſunt, inuento vti, item & ſimplicibus lanis,coloribusq; natiuis contineri,niſi & ad Lydorum inuentum coloribus inficiantur. Sic videmus in omnibus ferè rebus homines cupidine & luxu eo prætervectos eſſe, vt nihil amplius conſiderato iuſto vſu neceſsitateq; inuentionis nullo modo obſeruata,ſolus luxus prorſus celatur,ſimplici contemptim vituperato. Olim ſpecus erant pro domibus: tum luthea ædificia Doxij ingenio, exemplo ſumpto ab hirundinum nidis, fieri cœperunt. Poſtmodum Euraclius & Hiperbius fratres lateritias domos Athenis primi conſtituerunt, eaſq; ſimplices & iuſto ſumptu. Sed vt aſſolet latius euagari, quod ſemel cœptum eſt, res in enormem luxuriem recidit, continuauitq; ad hæc tempora incrementum conualeſcere ad ædificia prodigioſa: neq; ſtatu temporum noſtrorum res ad ſummum adhuc pertigiſſe dignoſcitur, quando varijs artificijs portentoſiſq; inuentis contenditur,& nulli ſumptui parcitur,vt cum Plinio ſecundo dubites, mirari ne deceat inuentorem, an inuentum: artificem, an autorem: auſum aliquem hæc ſuſcipere, an excogitare: parere,an iubere. Fertur ab eo, M.Lepido & Q.Catulo Coss. domum nullam pulchriorem Romæ fuiſſe, quàm ipſius Lepidi: tamen intra annos triginta quinque eandem

*Domus quæ olim fuerũt.*

*Domus lateritiæ primæ.*

*Aedificiorũ luxus.*

*Lepidi domus.*

centeſi

centeſimum locum non obtinuiſſe: Eas item omnes duabus domibus C. & Neronis ceſsiſſe, quarum illa Neronis aurea fuit. Vtrique denuo gloriam hanc priuatis ædificijs ereptam eſſe. Computabit in hac æſtimatione quilibet, imò & magis, qui antiquorum Piramidas, L. Syllæ & M. Scauri theatra, P. Clodij, Q. Martij regis miracula, montes à Claudio perfoſſos, Milonis, Tarquinij Priſci domorum pretia, opera pictorum, molem marmorum Romæ extructam à mille & octingentis annis æſtimauerit, quæ poſsit eſſe ſæculi huius inſania, ſi ſenſim cum tempore res aucta ſit, vt & augebitur certè in poſterum, cùm nulla ſit ſpes aliquando defuturæ luxuriæ: prout & homo non nouit ſuæ cupiditati exitum dare, & intelligere res tanta ſollicitudine, tantoq; impendio confectas homine ipſo fragiliores eſſe, quotidie accidere, vt incendijs prorſus circumducantur, eoq; concidant, vt ne tignum quidem ſuperſit. Stratonicus igitur rectè, qui cùm Rhodi aliquot dies ageret cognito ciuium luxu dicebat ſe mirari, quòd ædificarent, perinde quaſi eſſent immortales, & epulari, vt breue tempus victuri. Solemus enim auidius eo frui, quod ſcimus breui duraturum. Sed & aliud malum accedit, vt quos luxus ignis non vindicauit, diutius perſiſtere non poſsint, hominum imbecilli natura, qui nihil, niſi à ſe ſuo ſumptu erectum æſtimare ſolent: idq;, vt in re veſtiaria. Nam quemadmodum veſtimenta, quibus alius vti cœperit, faſtidimus, etiam ſi ſint commoda, ſi ſint precioſa: tantumq; nouitati concedi ſolet, vt nemo decore videatur veſtitus, qui ſtudio ſuo, & nouo ſumptu veſtitus non eſt: ſic in extruẽdis do-

*Neronis domus.*

*Domus magnifica.*

*Aedificia homine ipſo fragiliora.*

*Aedificant vt immortales, veſcens vt cito morituri.*

*Aedificia niſi noſtro ſumptu facta non placent.*

mibus nemo hodie ſibi videtur benè habitare, niſi illæ propria opera, inuentione, pecunia, ſinon prorſus ædificatæ, at certè renouatæ ſint. Quo fit, vt cùm cuiq; ſuus ſit furor, certetq; ſuo quiſque aliorum furorem vincere, maior pars derelinquatur, ſui operis ſtudio nimio, & alieni faſtidio: adeo, vt quæ omiſit incendium, temporis caſus peruertat, & quæ prompto excidio non abeunt, ruderibus diſtrahantur: cùm tamen homini prudenti & res ſuas conſideratius tractanti perpetuò videri debeat præſtare aliena frui inſania, quàm ſua: effici, vt patrimonio conſulatur, caſui & damno rerum tanto labore & impendio erectarum occuratur, nihilq; oneri intolerando ſit.

*Aedificiorum inſania vti aliena præſtat.*

*Cultus corporis qui obſeruandus.*

CVLTVS corporis ad dignitates, vires, & valetudinem, non ad voluptatem admittitur. Socrates ad decorum retulit: dicere enim ſolebat, corpus, prout decet eſſe componendum & præparandum. Cultus enim conceſſus atque decorus addit hominibus autoritatem: effœminatus ac luxurioſus non corpus exornat, ſed detegit mentem: &, vt inquit Quintilianus, toga, calceus, capillus, & cætera, tam nimia negligentia, quàm cura reprehendēda ſunt. Salomon in Eccleſiaſte c.ix. monet, vt omni tempore veſtimenta ſint candida. Veſtem ſordidam in publico habere capillumq; ſummittere nulli licet: verba ſunt Venuleij in l. veſtem ſordidam. ff. de iniur. Ageſilaus in Aegyptum à rege vocatus propter veſtimenti ſordes initio contemptus eſt. Rectè Ariſtoteles Hyppodamum indecori inclamauit. Nam cùm eſſet in cæteris vitæ partibus moroſior, quàm deceret, propter gloriæ cupiditatem, capillorum prolixitate & geſtu

habituq;

habituq; videri vellet ſpecioſus, vili veſtitu & abiecto non hieme tantum, ſed & æſtate vtebatur. Cicero Anacharſis Scythæ horridam & pertimeſcendam ornatus & vitæ ſpeciem ſubnotauit eius ad Hannonem epiſtola, ſub his verbis. Anacharſis Scythes Hannoni S. Mihi amictui eſt Scythicum tegmen: calciamentum ſolorum callum: cubile terra: pulpamentum fames: lacte, caſeo, carne veſcor. Quare, vt ad me quietum venias, licet. Munera iſta, quibus es delectatus, vel ciuibus tuis, vel dijs immortalibus dona. Vale. Sua etenim huic rei inter abiectionem & luxum modeſtia eſt, quam pro hominis dignitate, aut loci conſuetudine, aut alias metiri oportet. Diogenes igitur Rhodios adoleſcentes incuſauit ſuperbiæ, quòd curioſius culti ſibi viderentur: poſtmodum Lacedemonijs ſibi obuijs viliori modo, quàm deceret, cultis obiecit ſuperbiæ non minorem ſpeciem. Magiſtratum, tum maximè, cùm ea, quorum curam agit, expedit, dum in publicum ſe profert inſignibus veſtitum oportet: nec tunicatum aut ſine calceis videri decebit: quæ tamen in priuato indecora non ſunt: ſæpius enim non tantum decora ſed vtilia. Olim Romæ cuiq; priuato tunicato incedere ſine toga licuit: magiſtratui non licuit, nec & priuatò, qui ſenatorem aut magiſtratum alloqui aut ſalutare vellet: toga enim tunc erat ſuperinduenda & ſic ij adeundi. Præterea indecorum fuit, imò non licuit priuato ſine toga magiſtratum, aut eos, qui dignitate, vel ætate, vel opibus præcellerent, deducere, vel reducere in domum, in forum, in templa aut alio. Ideo in Catone, homine alioqui poſt homines natos & grauiſsimo & ſeue-

*Anacharſis horrēda frugalitas.*

*Modeſtia inter luxum & ſordes.*

*Superbus qui curioſe cultus eſt. et etiā qui abiecte.*

*Magiſtratus pro dignitate ornatus ſit.*

*Cato prætor tunicatus et ſine calceis.*

rißimo,ab aliquot damnatum eſt,quòd Prætor æſtate à prandio ſtatim ſine tunica & ſine calceis in forum ſæpe deſcenderit, & ius ita dixerit:quo facto aliquantum euiluit Cato. Dignitas etenim illa Prætoria maxima fuit,& ideo Coss.collegæ prætores dicebantur, vt refert Gell. & prætexta induebantur, quæ erat toga, cuius oræ & circuitui purpura aut aurum prætexebatur. Item & latum clauum ferebant, ideſt tunicam prætextam,latiorem vulgari, & diſcinctam, cui toga ſuperinduebatur. Illi præterea purpura Megalenſi ornabantur, vt & Trabea. Ea autem ornamenta geſtandi autoritas inter primas dignitates habebatur. Circa hæc magnifica ornamenta luxus offenſa & vituperio non caruit, vt in Nerone damnatum eſt. Quòd adeo ſuperfluerit, vt nulla veſte bis vſus ſit. Ad hæc ſacerdotij dignitas ea modeſtia maximè præcellere debet: nec ſuperfluo aut indecoro cultu neque ſordido aut agreſti ſacerdoti vtendum eſt,ſed pro religionis honeſtate decoro.cap.parſimoniam.41.diſtinct.& in ſumma illius diſt.gloſ. in c.ij.in fi.de cuſtod.eucariſt. Et vt hodie non licet ſacerdotem his veſtitum inſignijs,quæ huius dignitatem, decent, ſupplicio afficere, ſoletq; imprimis deponi ex iudicio & exui, ita olim ſummos magiſtratus ornamentis exui oportuit.P.Lentulus prætor, poſtquam Volturij & Allobrogum legatorum indicio coniurationis Catilinariæ conuictus fuit, ſuisq; literis & ſignis ab eo cognitis in Senatu parricida probatus, quoad de ſumendis ab eo & cæteris ſupplicijs deliberatur, decreuit Senatus, vt ſacrum Præturæ magiſtratum deponat & abdicet: Tum, vt in cuſtodijs habeatur.

*Prætoria dignitas.*

*Latus clauus.*

*Neronis luxus.*

*Sacerdotis cultus.*

*Degradatio.*

*Degradatio olim qua fuit.*

habeatur. Deliberatione Senatus ſecundum ſententiam Catonis inita, huic in carcere gula fracta eſt. Plutarchus in Cicerone formam huius depoſitionis Lentuli, quam nos degradationem dicimus, clarius expreſſit. Cùm enim ille Prætor eſſet, poſita in Senatu prætexta, fortunæ ſuæ congruam veſtem induit. eoq; publico exumento vtitur Curia Franciæ, cùm ſacerdotem grauioris accuſationis conuictum exangurari ex ſententia conuenit. Ediuerſo aliquando licuit etiam moto à Senatu, aut dignitate, modo id ſine ignominia contigiſſet, veſtis inſigne retinere. Ideo Auguſtus cùm plures Senatores exautoraſſet, ob numerum affluentem, inſigne veſtis, & ſpectandi in orcheſtra epulandiq; publice ius reſeruauit.

*Veſtis ornatus relictus ei qui miſſus eſt.*

CAVENDVM igitur, vt ad rem redeam, maximè principi, aut magiſtratui, ne quid, cùm in publicum prodit, durum aut ruſticum circa veſtis inſigne appareat: ſed maximè enitendum, vt pro dignitate geſtus, veſtitus, ſtatus, ſeſſio, & cætera decorum illud teneant. Philippo Macedonum regi, cùm aliquando auctioni captiuorum præeſſet, ſederetq; parum decorè Chlamide intorta, oblatus eſt quidam è turba miſerorum clamitans, dimitte me, quæſo, Rex liberum paternæ amicitiæ gratia: à quo cùm Philippus amicitiæ cauſam petijſſet, Nolo, inquit ille, palàm dicere, ſine, quæſo, vt in aurem eloqui liceat: admiſſus à rege auribus admotis, demitte, inquit, Chlamidem, nam ad iſtum modum indecenter ſedes. Hoc audito, Philippus illum mox dimitti iuſſit liberum, quem iam tunc agnouiſſe amicum eſſe & benemeritum diceret. Nec & minus erit cauendum, ne quid effœminatum,

*Principi aut magiſtratui decorum tenendum in veſtitu.*

*Cultus effæminatus.*

aut molle ſit, cùm nihil dignitatem magis intercidat aut violet, quàm fucus, mollities, aut deliciæ. Hæc enim prorſus modeſtiæ, fidei, ſeueritati, quæ dignitatum alumnæ ſolæ ſunt, repugnant: Nec benè conueniunt, nec in vna ſede morantur maieſtas & amor. Quòd ſi magiſtratum incorruptum eſſe oportet, qui fieri poteſt, vt eiuſmodi ſit, qui ſeipſum mollitia & fuco corrumpit? Idcirco rectè Macedo idem, cum Antipatri gratia, quendam barbam & capillos fucare & tingere ſolitum in iudicum ordinem euocaſſet, eundem ſtatim, poſt cognitum vitium ſubmouit, obteſtans eum in rep. gerenda non videri fiducia dignum, qui in capillis fidus non eſſet. Veſpaſianus Imperator adoleſcentem quendam vnguento fragrantem, cùm ſibi pro impetrata præfectura gratias ageret, nutu aſpernatus, maluiſſem, inquit, allium oboluiſſes: literasq; reuocauit præfecturæ, & ea indignum iudicauit eum, qui hoc luxu difflueret.

*Vnguentorũ odor effœminatus.*

*Diſtinctio cultuum.*

SVVS cuiq; fuit veſtiendi modus, ſecundum dignitatem, opes, ætatem, ſexum, nobilitatem, gentem, merita, & tempora. quorum ſingula ordine ſuo videamus. hoc enim contextu abſoluetur hic noſter veſtiarius tractatus.

*Abdolomini cultus diuerſitas, vt & ſtatus.*

NEC Abdolominus, licet regia ſtirpe ortus, eodem cultu vſus eſt, cùm eſſet ob inopiam ſtipe exigua olitor conductitius, quo eum vti decuit, cùm ad regnum Sydonum euectus eſt. Et cùm res ad humanæ fragilitatis (cuius nimia in proſperis rebus obliuio eſt) exemplum pertinet, viſum eſt non prætermittere. Alexander Macedo, vt tradit Q. Curtius, quum Stratonem Sydonæ poſſeſſorem iniquum expuliſſet, quorun

quorundam consilio Abdolominū huic regno præfecit, cui prius paupertatis causa probitas erat: ille in opere diurno & manibus victum quæritans ab Alexandri statoribus in horto suburbano inuentus est, quem herbis sterilibus repurgabat: hunc regem salutant, proponuntq́; palàm regium vestitum, qui in manu erat: cùm scalore permutandum suadent, corpus illuuie abluendum, regis animum capessendum, & in eam fortunam, qua dignus erat, continentiam suam proferendam: consulunt insuper, vt cùm in regali solio residebit, vitæ necisq́; omnium ciuium dominus, caueat obliuisci status illius, in quo regnum acceperit. Huic cunctanti & sibi illudi putanti scalor ablutus est, & iniecta vestis purpura auroq́; distincta, ad Alexandrum perductus est: qui Abdolominum diu contemplatus, libet scire, inquit, qua patiētia inopiam tuleris. Tum ille, vtinam, inquit, eodē animo regnum pati possim. hæ manus suffecêre desiderio meo, nihil habenti nihil defuit.

DIGNITAS aut Imperatorum, aut Regum, aut magistratuum fuit. Imperatores primum purpura vsi sunt, siue violacea, siue rubea, & siue simplici, siue dibapha aut Megalensi. Violacea ianthina dicta est, Græci enim ἴον violam vocant: huiusq́; precium insigne & magnificum fuit. Nam Megalensis purpura erat dibapha, id est, bis tincta, & maximo impendio præparata. ad libram æstimabatur & venibat: in singulas libras centum nostri aurei, qui sunt mille antiqui denarij, numerabantur. Martialis huius purpuræ vestem ad francorum nostrorum quinq; millia ascendisse scripsit, quæ æstimantur centum denariorum il-

*Purpura Violacea Imperatorum.*

*Purpura Megalensis preciū maximum.*

lorum millibus. huius id carmen eſt:

*Conſtatura fuit Megalenſis purpura centum*
*Millibus.*

*Purpura ſimplex.* Simplicis purpuræ libra denarijs centum, ideſt, decem noſtris aureis empta eſt. quæ ita poſt Bud. coniecit Baifius in l. veſtis. ff. de aur. & arg. leg. Dibaphæ vſus hodie aut rarus eſt, aut prorſus nullus in Francia. *Purpuræ raritatis cauſa.* Nec eſt purpura quæ illic tingitur, aut venditatur. Plinius huius raritatis cauſam expreſsit his verbis: Murices, inquit, lib. ix. c. xxxvj. verno tempore congregantur, qui purpuræ florem illum tingendis expetitum veſtibus in medijs habent faucibus: liquoris hic minimi eſt in candida vena, vnde precioſus ille bibitur ſanguis nigrantis roſæ colore ſublucens, reliquum corpus ſterile. viuas capere contendunt, quia cum vita ſuccum eum emittunt. Et quia tanto impendio ea ferebantur veſtimenta viſum eſt imperatorib. Va- *Purpura prohibitio.* lentiniano & Theodoſiano id impendium coërcere, prohibueruntq́; ea cauſa purpuræ ſiue laneæ, ſiue ſericæ venditionem & muricis cõmercium inter priuatos, hosq́; ſuarum fortunarum & capitis diſcrimine mulctarunt. l. prima. C. quæ res vend. non poſs. vbi ego puto corruptè inſcribi imperatores Valentinianum & Theodoſianum, quos non inuicem, ſed aliquo interuallo poſt regnaſſe conſtat. Valentinianus enim cum Valente fratre imperauit anno à Chriſto nato 367. Valentiniani filius Gracianus Imperator Theodoſium pronomine magnum in collegam admiſit anno 382. & eo tenpore Valentinianus alius frater Graciani iunior, cùm vterque filius eſſet Valentiniani primi, imperabat in occidente. Extant

Extant & de eadem re veſtiaria duæ conſtitutiones eiuſdem Theodoſij in l.vellera adulterin. & in l.purpuræ nundinas. de veſtib. oleber. & aur. lib.xj. C. vbi muricem ſacrum vocat. Quod ſi hodie purpura videtur, illa fucata eſt & adulterina: quæ res capitali ſupplicio digna viſa eſt. d. l. vellera.

TRABEA item imperatores vtebantur, quæ erat toga acu picta, quam nos *broderie* dicimus: & ea primum vſus eſt Romulus purpurea. Auguſtus Cæſar Tyria purpurea ornari ſolebat,& aliquando empturus, cùm obſcuram improbaret, venditorq; probare volens dixiſſet, Erige altius & diſpice, Ergo, inquit Auguſtus, tabulato me oportebit incedere, vt po. Romanus dicat me benè cultum? Conchiliatæ veſtes imperatorum dictæ ſunt, à conchilio purpuræ genere, harum vſum Iulius Cæſar ademit,certisq; tantum perſonis & ætatibus permiſit, hisq; adhuc per certos dies ademit. Purpuræ tam ianthinæ,quàm conchiliatæ meminit Vlpianus in l.Si cui lana.§. De verſicoloribus. verſic.proinde quæritur. vſque ad fin. ff.de legat.iij. *Trabea.* *Conchiliatæ veſtes.*

VESTIS aurea olim raro in vſu fuit, Plinius ex Verrio refert Tarquinium Priſcum tunica aurea primum triumphaſſe: Agrippinam, quam ſuis delitijs & oſculorum blanditijs Claudius Cæſar illectus no uiſsimam habuit vxorem, aſſediſſe paludamento auro textili ſine alia materie indutam Imperatori marito ſpectaculum naualis prelij edenti. Prætexta & Imperatores vſi ſunt,vt & magiſtratus,quorum proprius fuit latus clauus, de quo ſuprà diximus. Chlamide vſi ſunt reges, vt ſupra de Philippo Macedone dixim *Aurea veſtis.* *Prætexta.* *Chlamus.*

diximus, licet Chlamidem inter puerilia veſtimenta enumerauerit Vlpianus in d.l.veſtis. §. puerilia ſunt. tamen in eo text.Iuriſconſultus Chlamidem ſimpliciter non aſſerit eſſe puerile veſtimentum, ſed duntaxat alicubi dixit illam ad vſum puerorum pertinere, vt & pallia,quæ filijs noſtris comparamus:vbi hactenus pro alicubi lectum fuerat alicule, non ex omnium ſententia. Honoris cauſa victoribus, data eſt, hisq́;,quibus ſtatuæ ius, ob victoriam, conceſſum eſt. Cicero pro Rabirio Poſthu. Scipionis ſtatuam in Capitolio cum chlamide videri dicit, quòd bellum in Aſia geſsiſſet,Antiochumq́; viciſſet.

*Paludamentum.* PALVDAMENTVM olim Imperatorum fuit, teſte Plinio eodem,dicebaturq́; chlamis imperatoria, quam geſtabant armati & cùm copias educerent: & in id Valerius de Craſſo loquens Pullum, inquit, ei traditum eſt paludamentum, cùm in prelium exeuntibus album aut pûrpureum dari ſoleret. Id hodie nos dicimus, *cotte darmes*,vt declarat Budæus. Cuiuſmodi veſtimentum hodie cuilibet cōmune eſt, etiam militi, qui curam non habet, vt & olim fortaſſe fuit, teſtimonio Liuij, qui de ſorore Horatij loquens,cognito, inquit, ſuper humeros fratris paludamento ſponſi,quod ipſa confecerat, ſoluit crines,& flebiliter ſponſum mortuum appellat.

*Opulētorum cultus.* VESTIMENTVM ornatius fuit eorum, qui opibus præcellerent,quàm cæterorum: vt & honoratius tractabantur, & maximè ſi remp.iuuerant, aut magiſtratum geſsiſſent: modo tamen ornamentis dignitatum proprijs non vterentur. Dominus præcepit Iob viro diuiti, vt ſpecioſe veſtiretur.Daniel purpura *Danielis cultus.*

veſtitus

vestitus cum torquis aurei ornatu incessit. Qui enim opibus clarus est & suprà cæteros notus, nobilis dicitur, à notitia publica. D. Hieronymus hæreticum Heluidium nobilem in scelere factum esse dicit,idest, insigniter notum. Lais,Phrine,Gnatena,Nico,Calistion, Thais,& Leontium nobilia scorta dicta sunt. Obert.in c.j. quib. caus. feud. amitta. ingratitudinem egregiam dixit, non equidem honoris titulo,vt falso putauit Aluarot. Sed vt notaret hanc præcipuam & insignem esse. Lucullus etiam priuatus cum ædificijs, conuiuijs, & expensa omne genus, tum maximè vestimentis cæteros etiã nobilissimos præcessisse visus est: ijsq; causis in honoribus ijsdem habitus est, quibus magistratus. De quo extant in rem nostram Horatij versus.

*Nobilis à notitia etiã scelerum.*

*Luculli luxus in cultu.*

*Chlamides Lucullus, vt aiunt,*
*Si posset scenæ centum præbere rogatus*
*Qui possum tot ait? tamen & quæram & quot habebo*
*Mittam: paulopost scripsit sibi millia quinq;*
*Esse domi, partem vel tolleret omnes.*

NEQVE circa hæc pueris iuxta ac senibus idem concessum est, sed semper ætati prouectæ quid amplius delatum fuit: ideo lege Iulia,cuius suprà meminimus conchiliata veste nisi certis personis, quæ ætate selectæ erant, vti non licuit. & ad id Callistratus, semper,inquit, in ciuitate nostra senectus venerabilis fuit: nanq; maiores nostri eundem honorẽ senibus,quem magistratibus tribuebant.l.semper.ff.de iur.immunit. Rectissimè Licurgus hæc constituit. Ille enim inter plures leges, quibus Laconum remp.ordinauit, cuilibet ætati vestimenti rationem instituit. Hos, qui di-

*Cultus pro ætate.*

*Vestimenta secundũ ætates ex Licurgi lege.*

gnitatem gererent, pro huius summa insigniter vestiri, senes pro valetudinis ratione, opulentos pro facultate: pueros pro calceis pedum nuditatem continuare voluit. Apud seipsum autem statuerat, quemuis expeditius se accõmodare siue ad cursum, siue ad ascensum aut descensum & cæteros labores posse, celeriusq; pedibus nudum, si assueuerit, quàm cum calceis hos excepturum. Quoad vestimentum, varietate, qua nihil mollius existimabat, prorsus sublata, vno, eoq; simplici amictu quotannis assuefieri instituit, ratus equidem & aduersus frigora, & calores cautius hominem nutriri & consuescere.

*Cultus pro sexu.*

SEXVS vestimentorum notabile discrimen semper habuit, idq; primo ex lege diuina Deutero.xxij. Non induetur mulier veste virili, neq; vir veste fœminea. tum & lege humana. l. vestis. §. virilia. §. muliebria. & §. communia. ff. de aur. & arg. legat. c. si qua mulier. 31. dist. Valerius tradit inter antiqua instituta, Lycios, cùm ipsis lugendum est, vestem muliebrem induere solere, vt cultus horrore magis affligantur, & idcirco diutius mœrorem ferre nolint. Q. Mutius Scæuola dicebat, se scire senatorem muliebribus cœnatorijs vestibus vti solitum, idq; probri loco esse. vt refert Pomponius in l. inter vestem. ff. de aur. & arg. leg. Q. Curtius scripsit Darium zona aurea muliebriter cinctum indecorè fuisse. Tunicæ vsus communis fuit viris iuxta ac fœminis: illorum tamen breuior, & Græco vocabulo *hocqueton* dicimus, quasi dicas χιτών: harum verò longior multo & ad imos pedes, diciturq; vulgò, *cotte*. Alijs significationibus, quas ea dictio habet, propria vtriq; est, siue sit linea, quam interulam, siue

*Tunicæ vsus cõmunis viro ac fœminæ.*

ſiue camiſiam dicimus: ſiue lanea & media, quam brumali tempore vſurpamus, diciturq́; *rouget.* Spartanorum virgines olim ſola tunica vtebantur, erant ab vtroq; latere ſinus non conſuti, ſed explicati, vt dum incederent femora vtcunque paterent. Vlpianus in d. §. virilia. & §. muliebria. enumerando ſigillatim, quæ cuiusq́; propria ſint, tunicas in vtroq; repetijt, vt vtrique communes. Viri tunicæ togam ſuperinduunt, fœminæ ſtolam. Stola enim licet apud veteres pro quolibet indumento, quod tegit, vſurpata ſit, ex eo quod στολὴ indumentum ſit, tamen honeſtæ mulieris veſtis eſt ad imos pedes demiſſa. Idem Vlpianus ſtolam inter muliebria veſtimenta enumerauit in d. §. muliebria. vbi & palla adſcripta eſt. Matronarum indumentum eſt ad veſtigia vſque demiſſum, diciturq́; tunicæ pallium, cùm ſtola deeſt ex Vergilij Emiſtichio: prolongæ tegmine pallæ. Illius vſus hodie frequens eſt honeſtis mulieribus, quæ pallis hibernis quocunque tempore tunicis ſuperinduuntur. Aliud tamen fuit pallæ veſtimentum Gallorum proprium, quod erat manicatum & ad medias vſq; nates demiſſum, tunica virili breuius, paruoq́; impendio fiebat: quod aliquot annos intermiſſum, tempus in vſum hodie reuocauit: Eſtq́; id, quod nos *caſaquin*, dicimus: quo indumento natium ornatus aut ſubligaculi opificium non contegitur. hæc apertius declarat Martialis hoc pentametro.

*Tunica virginum Spartanarum.*

*Stola muliebris eſt.*

*Palla.*

*Palla Gallica.*

*Dimidiasq́; nates Gallica palla tegit.*

quidam vocant *palletot.* PALVDAMENTVM, de quo ſuprà diximus, imperatorum fuit: eo tamen Auguſtas pro ſummo ornatu vſas eſſe teſtis erit Agrippi-

na Claudij Cæſaris vxor.

*Pallium.* PALLIVM vtrique promiſcuum fuit, eratq; latè longeq; diffuſum, vt ſub eo tunica & toga tegerentur. Id Cornelius Tacitus lib. iij. veſtem promiſcuam vocat. propriè Græcorum fuit, vt Romanorum toga: item & Philoſophorum: vnde illud Hærodis ſcitum, video barbam & pallium, Philoſophũ nondum video. *Palliũ Archipræſulũ.* Hodie Archipræſulum eſt: idq;, cùm in ſuo dignitatis ornatu magnifico conſpici eos oportet, geſtandum eſt: ſolentq;, cùm recens à ſummo pontifice promouentur, ius pallij Romæ exoluere, antequam literas recipiant. Taxari ſæpe ſolet maiori precio, quàm beneficij fructus æquè patiantur, licet id non tradatur: nec maiore impendio longo tempore veſtiuntur, etiam ſi acu pictis veſtibus vti volent. *Palliũ Idolorum.* Olim pallio aureo Idola ornata ſunt. Cicero lib. iij. de nat. deorum refert Dyoniſium, cùm fanum Proſerpinæ locris expilaſſet, & ſecundis ventis ſacrilegus ad Peloponneſum claſſem appuliſſet, in fanum Iouis veniſſe, aureum ei detraxiſſe pallium, quod æſtate graue, hieme frigidum diceret: laneumq;, tanquam ad omne anni tempus aptum inieciſſe.

*Bombicina veſtimenta.* BOMBICINA veſtimenta fœminis duntaxat conueniunt: vt Plinius, Bombices, inquit, telas aranearum more texunt ad veſtem luxumq; fœminarum. Et alio loco de bombicinis, nec puduit, inquit, has veſtes etiam viros leuitate vſurpare propter onera æſtiua: in tantum à lorica gerenda diſceſſere mores, vt oneri ſint etiam veſtes. & hæc latius declarat Bayfius in dicta l. veſtis.

*Muliebris capitis ornamenta.* CAPITIVM, reticulum, mitra, tiara, vitta ad caput

put fœminarum pertinent. Capitium nos *chaperon* dicimus: Reticulum, quòd capillum continet, *coyphe*. Mitra non illa eſt, quàm præſules geſtant, ſed erat corona ad ornatum capitis adoleſcentularum, de qua pendebat buccarum tegmen ad foliorum inſtar aut faſciæ. Tiara capitis muliebris ornamentum eſt, quo vſi ſunt aliquando reges, ſæpius ſacerdotes. Vitta eſt faſcia, qua crines, aut ſerta, aut flores religantur. *Mitra.* *Tiara.* *Vitta.*

LACERNA virilis fuit: Græci Chlamidem, aut μανδύαν vocant, Latini pallium ſed penulam dicunt: nos ad Græci imitationem *manteau* dicimus. hancq́; fuiſſe abſque manicis, argumento eſt, quòd vtrinque indui poſſet, & ex vtraque parte reijci, ex Iuuenale ſatyra prima. Criſpinus Tyrius humero reuocante lacernas. *Lacerna.*

EA nobiliores nunquam vtebantur, niſi, cùm plueret, ad togam contegendam. Illa frequentius vtuntur milites aut plebeij ad frigus arcendum. Scorteam, ideſt, pelliceam lacernam ferunt curſores ordinarij. Quidam hoc vocabulo vocant tegmen canonicorum, quòd ab amiciendo, aumuſiam dicunt. Cætera ad eundem Bayfium in eodem tractatu veſtiario, quem in dicta l. veſtis. conſcripſit, reuocamus: hæc partim ex eo, partim ex pluribus alijs ſummatim retuliſſe ſatis ſit. *Lacerna ſcortea.* *Lacerna canonicorum.*

ET QVIA muliebrium ornamentorum occaſio ſe appoſitè obtulit, hisq́; in tantam hodie luxuriam ventum ſit, vt ea re, ſi qua alia, rerum ſtatum periclitari, facultatibus exhauſtis, honeſtisq́; omnibus ſuppreſſis, dignoſcamus: cogit rei indignitas, vt paululum hîc immoremur. A capite rem ordiri & ad pedes *Muliebris cultus indignitas.*

 perſequi

persequi facilè est. Quis non erubescat tiaras, hæteromallas, calceosq; æquè sericos plebeijs mulierculis in vsu promiscuo esse? hisq; addi aureas vittas, vt ornatiore cultu caput reluceat? Demum collum & pectus strophio aureo, aut lineo acu picto & maiori sumptu instructo? Bulla collari & torque aureo splendescere? tunica & stolam sericas, aut subsericas paßim indui? In summa, rem ad prodigium venisse, cui modesto horrendum non est? Princeps noster HENR. constitutionibus in id seuerißimè repetitis id prorsus cohibere visus est, si sexus contumacia defuisset. Neronis sæuitia laudabilis in eo fuit; quòd grauiore executione rem commodam comprobauit: Inter publicè canendum matronam Romanam è spectaculis vetito vestimento cultam demonstrasse procuratoribus suis traditur: detractamq; illico non veste modo, sed et bonis exuisse. Q. Fabio Max. & T. Sempronio Coss. à M. Oppio & T. Romuleio Tribunis plebis lex lata est, quæ Oppia dicta est, qua mulieri plus semiuncia auri habere, aut vestimento versicolori vti, aut vehi iuncto vehiculo in vrbe oppido ve, aut propius inde mille passus, nisi sacrorum publicorum causa, non licuit. Imperatores autem non tantum vestimenta serica aut aurea, sed & vestium limbos auro, aut serico prætexi acerrimè prohibuerunt. l. prima. & ij. de vestib. olob. lib. xj. C. nec item leni animaduersione plecti iubetur, quisquis vetito se & indebito non abdicauerit indumento. verba sunt text. in l. nemo vir auratas. vbi paragaudarum fit mentio, quæ sunt vestimenti virilis genus vt plurimum linei, cui alia vestis superindui solebat: erantq; paragaudæ

*Lex Oppia de cultu muliebri.*

*Paragauda.*

vinctæ

vinctæ pluribus loris, quæ vsu aurata erant, & demum interdicta. Vopiscus in Aureliano tunicarum subsericarum & linearum paragaudarum mentionem facit, dicitq; militibus Aurelianum paragaudas primum dedisse. auri intexti vsum reperit rex Attalus: interdixit Aurelianus Imperator: item, vt neque in cameras, neque in tunicas, neque in pelles, neque in argentum verteretur: solebatq; in eo iure optimo ratiocinari, quòd esset plus auri, quàm argenti: sed quia aurum per varia bractearum, filorum, & lignationum impendia periret, argentum non æque, sed in suo vsu & statu maneret, fieri non posse, vt æqua sit vtriusque substantia. L. Valerius Tribunus pleb. pro mulieribus legis Oppiæ abrogationem suadens contra M. Portium Catonem contrà docere nixus est, nullam malignitatem videri aureis monilibus gestandis, quòd in auro, præter manus precium, nihil fiat intertrimenti. Sed nemini notum non est, auri gestandi occasione, cæterorum, quæ absumuntur, teruntur q; luxum non deesse, alioquin aptè non vestiri. Tacitus Imperator ideo auro clauatis vestibus interdixit, quòd necessario vestes ferantur auri decentia preciosiores, indeq; impendium. Bayfius interpretatur id esse, quòd nos *boutons d'or & orfrez* dicimus. Vlpianus in l. cum aurum vel argentum in fin. de aur. & arg. leg. clauorum aureorum meminit: dicitq; partem vestimentorum esse, quòd Pomponius in l. etsi non sunt claui. ff. eo. declarat, vt verum sit, scilicet vestimenti nomine non auri eos clauos comprehendi, si vestimentis sint consuti, alioquin aurum esse: prout & annuli, vasaq; aurea, ex sententia Q. Saturnini. Sabinus vltra sen-

*Auri intexti vsus.*

*Aurũ cur tam rarũ sit.*

*Clauatæ vestes.*

*Claui aurei.*

*Gemmæ auro inclusæ an auro cedāt.* tijt gemmas auro inclusas auro cedere, si auro, ornandi gratia, adhibitæ sint: si contra, gemmis, aut margaritis cedere: cùm generaliter illud spectandum sit, quid cuiusq; rei ornandæ causa adhibeatur, vt accessio cedat principali. Aurum hodie profusè ad sordida aptari graue est: eo enim talos calcaribus inauratis, clauandis ocreis ornare non pudet etiam plebeium & ignobilem. Olim in rege probrosum visum est: Antiochus enim Syriæ Rex contemptus fuit, quòd aureos clauos crepidis suis subiectos habuerit, argenteaq; vasa ad vsum culinæ comparauerit, & textilibus sigillis tabernacula adornata statuerit. Iure insectemur Poppeam Neronis coniugem, quæ delicatioribus iumentis suis soleas ex auro induere solebat: alias quasdam, quæ rhedas seu carrucas, quibus vehebantur, argento cælauerunt: vt refert Plinius. item & Mithridatem insolentius vsum fuisse curribus aureis argenteisq;. Postquam Chartago sublata est, Romæ nata est luxuria, cœpitq; licere amplecti vitia & à recto abire: statuæ argenteæ tum primum visæ sunt: Capula, idest ensium manubria, quæ eborea solebant laudari, argento: Baltei, qui ex corio solebant fieri, Vaginæ item, auro: Batilla, quæ sunt propria prunæ cogendæ, & quibus ferrum sufficere debuit, auro celata sunt: strata, siue freni equorum, pollubra manibus, pelues pedibus lauandis, trullæ ad hæc lotio excipiendo, argento confecta sunt: vt eadem materia & brutis & hominibus, cibisq; iuxta ac probris seruiat. Mulierum balineæ argento stratæ sunt ad duplicem vsum: vno, luxuria argenti: altero, ne vestigia cum viris lauantium nosci possint. Lecti mulie

*Calcaria inaurata.*

*Ocreæ clauatæ auro.*

*Iumētorum soleæ aureæ.*

*Carrucæ auro celatæ.*

*Mithridatis currus aurei.*

mulierum toti, triclinia etiam quædam argento, & à quibuſdam auro confecta ſunt. In ſumma eo ventum erat olim luxuriæ, vt non ludibrio tantum habiti ſint frugi homines, ſed & in hos animaduerſum ſit. Refert Plinius ſe vidiſſe Arellium Fuſcum inſigni ea calumnia equeſtri ordine motum, quòd aureos annulos pro dignitate ferre deberet, argenteos habere viſus eſſet. Fœliciora tempora Cati Aelij, quem cùm Aetolorum legati in conſulatu prandentem in fictilibus deprebendiſſent, rogarunt, vt vaſa argentea, quæ offerebant reciperet: recuſauit modeſtè, nihilq; ſibi inſolens videri voluit, neque aliud habuit argenti ad ſupremum vitæ diem, quam duo pocula, quæ L. Paulus ſocer, ob virtutem deuicto Perſæo rege dona uit. Aequiora ſecula Fabritij, qui bellicoſos Imperatores pluſquam pateram & ſalinum ex argento habere vetabat. Scipio Minor cùm Memmij cuiuſdam militum tribuni, quem nos hodie Mareſcallum dicimus, iumenta intercepiſſet onuſta delicijs, ideſt poculis præcioſis & operosè factis, & vaſculis lapideis vino refrigerando aptis, Mihi, inquit, ac patriæ diebus belli huius, tibi verò perpetuò inutilis futurus es. L. Craſſus orator duos ſcyphos, non tam auri fulgore, quàm pretio artificij precioſos ſibi donatos nunquam anſus eſt in vſum ſuum proferre. Nec conſtitutionibus tam antiquis quàm nouis, vt tandem ad luxum hunc redeam, mulierum imbecille ingenium auocari potuit, quin omne ſtudium ſuum ad ſui cultum immoderatiorem ſe quotidie ſupramodum conferat, ſemper aliquid ſumptuoſius adijciendo, vt ſtolis auro clauandis, tunicis, ſtrophijs, & alijs amiculis

*Modeſtia mulctata.*

*Cati Aelij frugalitas.*

*Muliebris luxus in cultu.*

r acu pict

acu pictorum opificio adornandis, capite inaurando, capillis calamistro inurendis, facie cerussa & fuco illinienda, siue alijs id genus ementitis naturæ artibus, neque tempora, neque facultates sufficiant: quibus vbi non parcitur, neque adhuc impensæ, aut ruenti luxuriæ obsisti potuit: incusanda sunt tempora, moresq; deplorandi, quibus, perdito genio, freni naturæ impotenti & indomito animali dari non posint: neque spes vlla sit, facturas mulieres modum huic luxuriæ, nisi princeps acriore censura sæuiat. Ea enim palàm adducunt paupertatem, auaritiam, & adulterium. pauperem etenim eum fieri necesse est, qui vxori diutius prærogare cogitur, quæ in sui cultum desiderantur: l. fin. ibi, timentium, ne quæsitis longo sudore impendijs, egeant. De vestib. olober. & aurat. lib. xj. C. Auarum item, qui prodigiosè expendat, aut mox pauperem esse oportet. Sæpe enim, inquit Portius Cato apud Liuium legis Oppiæ abrogationem dissuadens, me quærentem de fœminarum, sæpe de virorum, nec de priuatorum modo, sed etiam magistratuum sumptibus audistis, diuersisq; duobus vitijs auaritia & luxuria ciuitatem laborare, quæ pestes omnia magna imperia euerterunt. Postremo, cùm ipse immoderatus cultus ad luxum colatur, quis non videt luxuriem coniunctam esse. Miserum, inquit idem Cato, illum virum, & qui exoratus, & qui non exoratus erit: cùm quòd ipse non dederit, datum ab alio videbit. Quo apertè voluit dicere miseriam exorati esse in futura inopia: non exorati in vxoriæ luxuriæ propria ignominia. Posthumia sacra virgo, ob suspitionem stupri natam ex cultu curiosiore, causam dixit apud

*Luxuria ex cultu.*

Ponti

Pontificem, & Genes.xxxviij. Iudas suspicatus est Thamar ex ornatu meretricē esse. Bal.in proœmio decretalium in superbiam hanc iusto dolore inuehens asserit vestium superfluarum sumptu mulieres iuxta ac viros ad libidinem & immundicitiam allici, & idcirco episcopos aut iudices ius habere frenos im mittendi ita lasciuientibus, & excommunicationis pœna mulctare.arg.l.cum suprà.de re milit.lib.xij.C.

HENRICVS rex noster sua constitutione his omnibus prudenter obstitit: excepit duntaxat familiam, quæ sibi, aut reginæ, filijs, aut principibus ad stat: quam, optimo iure, vestium delectu oportet à cæteris differre. Saba Regina cùm audisset famam Salomonis venit ad eum, & postquam vidit eius sapientiam, necnon cibaria mensæ, & officia ministrorum eius, & vestimenta eorum, pincernas quoque & vestes eorum, non erat præ stupore vltrà ei spiritus, dicitq́; Beati viri tui, & beati serui tui, & hi, qui aßistunt coram te.ij.Paralip.ix.& eadem adscripta sunt.iij.reg.x. Balsasar Babylonis Rex, cùm Danielem in suam familiam inuitaret, cultum, quo vsurus ille esset factus regis domesticus, declarans, purpura, inquit, vestieris, & torquem aureum circa collum tuum feres. *Salomonis ministrorū cultus.*

NOBILES excepit constitutio, hosq́; ordine suo suprà adscripsimus. Curtilis Brixiensis tractatus sui nobilitatis quinta parte quinquaginta, sex priuilegia nobilibus iure communi delata protulit: prætermisit autem, quòd ijs serici vsus proprius est, Plinij secundi assertione. Idem Bayfius cap.v.in fin.de re vestiaria, plura ad id refert.facit l.prima. & l.comparandi serici.C.quæ res vend.non poss.Bal. in d.l.prima.inuehit *Nobilitatis cultus.* *Nobiliū serici vsus est.*

in ignobiles & priuatos, qui nobilium ritu vestiri non erubescunt, asseritq; eos pœnæ immunes abire non debere: per l.eos. §.qui se pro milite.ff.de fals.allegat. idem Bal.id vulgare, quòd, qui lupus non est, non debet eius pellem assumere. facit l.minimè. C.de episco. audien. & text.in auth.de sanctissim.episcop. §.omnibus. & glo.in cap.cùm decorem. in verb.laruarum.de vit. & honest.clerico. vbi declaratur non licere extraneum vestitum assumere.

*Nobiliũ est arma ferre.* AD HAEC, nobilium ex officio est arma ferre & gladio accingi: ideoq; milites à lege sunt nuncupati. l.desertorem. §.is qui. ff.de re militar. Quinimo, & omni tempore, siue bellorum, siue pacis, indecorum fuit videre nobilem armis suis, idest, gladio nudum: & ea causa sagis breuioribus vtuntur, vt his succincti gladium commodius ferant. Scripsit Tacitus in xj. milites quosdam punitos, quòd pugione tantum accincti non cùm prælongo gladio deprehensi essent. Nouissima Henrici Regis nostri constitutio est, qua militaribus ductoribus, ne in equitum, aut celerum ordinem alios adscribant, quàm nobiles, tanquam ad arma natos & ob id milites ac nobiles nuncupatos: ignobilibus nullum locum reliquit arma aut gladium ferendi. Insuper, cùm nobilitatis titulus sit dignitas, *Nobiliũ insignia.* nobilibus insigne sua dignitate dignum delatum est, quæ arma dicimus, quæ cuilibet propria sunt: Ideo licet ordinario iure res in eam libertatem venerit, vt cuilibet etiam viliori arma siue insignia assumere permittatur dum modo id alteri non obsit, arg. l.ad recognoscendos homines. ff.de inge. & manumiss. tamen summo iure id non licet: cùm eo genere insignium

gnium fiat discretio nobilium & ignobilium, qui ne confundantur, reip. interest. Vicissim nobilibus maximè cauendum est, ne à decoro suæ dignitatis tantopere abeant, vt ignobilium ritus & negotiationes exerceat, nundinationes scilicet, commercia, & cætera, quæ illis interdicta sunt. l.nobiliores. C. de commerc.& mercat.& eo modo nobilitatis nomen amittunt,vt contra Venetos scripsit Alex.in addi.ad Bar. in l.j.C.de dignitatib.lib.xij.Commercium enim licet hominum vsui admodum necessarium sit, tamen vile & seruile est.vt not.in d.l.nobiliores.

*Nobiles, qui bus à statu abeant.*

CVM cuiq; nationi suus sit proprius cultus, indecorum videbitur,si extraneo vestiamur:cùm in eo regionis mos obseruandus sit, & qui variando diuertit hypocrita est, dicit glos.in verb.deauratis. in c.clerici officia, de vit.& honest.cler.allegat c.si quis virorum. 30.dist.& c.erit autem.4.dist. Olim Romæ ea confundi non licuit,sed certo obseruari oportuit. Tranquillus refert Augustum,lege proposita,permisisse,vt Romani Græco,Græci Romano vterentur. Ea res Gallos maximè conturbauit, qui cùm cupidiore studio certent nouarum rerum, hisq;, simul ac nouerint,ferantur, nunc exilem Hispanum, paulopòst Italum contractum, mox latum Germanum, Obesum subinde Britannum tam variè referant, vt nullum sibi proprium cultum reliquerint, ab alijsq; malint accipere,quàm suo se continere. Olim ijdem Galli contrario ritu circa cultum modestiæ exemplum cæteris exhibuerunt. Refert Aristotel. libr.politicor.vij.cap. vlti. Gallos morem habuisse tenui veste amiciri: idq; vtile ad sanitatem esse censet, & ad res bellicas, si à

*Cultus, pro nationis ritu.*

*Gallorũ circa cultũ varietas.*

pueritia obſeruetur.

*Romanorum cultus forma.*

HIC antiquum Romanorum veſtiendi decorem ſubijcere, non erit ineptum ex Quintil. Licet enim certa ferè eſſet amictus forma, aliquatenus tamen tempore mutata eſt. Veteribus nulli ſinus in veſtimentis fuerunt: cumq; longo tempore obſoleuiſſet, hodie vſu veteri reuocato obſeruatur ad decorem & minori diſpendio. Itaq; id aliquando à Græcis Romani mutuati ſunt, vt veſtibus brachia continerentur, ideſt pallijs, quæ omni tempore Græcorum propria fuerunt, vt Romanorum togæ. in id Tranquill. in Aug. Togas, inquit, & pallia diſtribuit, Romanis & Græcis. Subinde cœperunt tunicæ & togæ ad ſinus breuiores ornari: Item & manicis accommodari, vt brachia geſtibus & vſui eſſent aptiora. Cui lati claui ferendi ius non erat, tunica vtebatur, quam nos *ſaye* dicimus, non rotunda quidem, ſed à tergo longiore multo, quàm in aduerſum: cingebatur ita, vt huius limbi priores paulum infrà genua, poſteriores ad medios poplites vſq; peruenirent. Mulieres tunicas longiores ferebant & ad imos pedes, has *cottes* dicimus: Centuriones prorſus cæteris breuiores & ſuprà genua. Quod ſi purpureæ eſſent tunicæ, leuis erat cura, an rectè deſcenderent, an ita obliquè. Latus clauus autem, licet tunicæ ſpeciem haberet, tamen honoris cauſâ non cingebatur, ferebaturq; cinctus ſubmiſsius paululum. Togæ alia erat forma, illamq; rotundam, & aptè cæſam eſſe oportuit. Illam veteres ad calceos vſq; demittebant, vt Græci pallium: ſucceſſores Romæ breuiorem habuerunt: idq; ad noſtra vſq; tempora proceſsit. Sinus priori tempore nulli, poſteriori quidam,

quidam, ſed decentiſsimi, & ſupra imam togam: infra autem prorſus nulli. Ferebatur Balteus cùm bulla ſub humero dextro ad ſiniſtrum oblique ductus: & ita compoſitè, vt neq; ſtrangularet, neque flueret, ideſt, neq: collum comprimeret, neq; deſcenderet laxius. Olim fuit decorum veſtimenta ſuperiora aperta habere, vt collum & pectoris ſuperior pars pateret: operiri autem humerum cum toto iugulo non oportuit, ne dignitas, quæ in latitudine pectoris eſt perdatur. Hodie amictus ea anguſtia componuntur, vt nedum pectoris, ſed & nec iuguli aut colli pars aliqua appareat.

MERITORVM ratio in his ius fecit: Trabea, ſiue toga acu picta licet Imperatorũ propria foret triumphantibus tamen ob meritum honorem conceſſa fuit. Lex Iulia conchiliatam veſtem pluribus pro dignitate permiſit. Auguſtus, cùm ob affluentiorem numerum quoſdam è Senatu mouiſſet, his etiam non Senatoribus inſigne veſtis & lati claui ferendi ius ob vitæ anteactæ merita reſeruauit. *Cultus pro meritis.*

POSTREMO, tempus vt occurrit, rem variat: ideoq; eadem lege Iulia per certos dũtaxat dies & certis perſonis conchiliatæ veſtis vſus aſsignatus eſt. Solet illudi ijs, qui ruri agentes in ſolitudine, pallijs ſericis, aut tunicis hæteromallis ſe & familiam ſine dierũ delectu veſtiunt: idq; animaduerſione dignum quidam ſcribunt, quòd re ſua & aliena ſepius abutantur. per text. in l. temperẽt vniuerſi. ibi pallia, tunicasq; domi ſericas. de veſtib. olobe. & aurat. lib. xj. C. Gellius libr. xj. c. ij. elegantiam antiquitus dictam docet, non ab ingenio egregio, ſed à læto, honeſto, & op- *Cultus pro tempore.* *Veſtiri ruri vt in foro non decet.* *Elegantia cultus.*

portuno

portuno cultu corporis victuq;. affert ex Catonis libro, qui carmen inſcriptus eſt, id in rem præſentem, veſtiri in foro honeſtè, mos erat: domi, quod ſatis erat. Denuo,cùm diebus ſacris id debeatur, vt quoad eius fieri poteſt diuinæ maieſtatis gratia & eius beatiſsimæ familiæ honorificè coli debeant, nos ad id exequendum pannoſos accedere non decet, ſed modeſtè & honeſtè pro cuiuſque dignitate cultos: eaq; re, ſi cordis præparatio non deſit, Deo omnipotenti gratius videbimur nos offerre. Ezechiel Domini iuſſu corporis cultum deſcribit his verbis: Laui te aqua: vnxi te oleo: veſtiui te diſcoloribus: calciaui te hiacintho: cinxi te biſſo: indui te ſubtilibus: ornaui te ornamento: dedi armillas in manibus tuis & torquem circa collum tuum. Nemo eſt etenim tam rudis & agreſtis qui nolit ſe ad hos dies parare cultu lautiore, vt ſqualorem excutiendo, faciem lauando, caput tundendo, veſtimenta aut nouando aut emundando: & cùm hi cæteris lætiorem videantur frontem exporrigere, æquum eſt, & cordis & corporis cultu hanc lætitiam excipere. Mundamini, inquit Iacob ad domeſticos ſuos, Geneſ.35. & mutate veſtimenta veſtra.Surgite, & aſcendamus in Bethel,vt faciamus ibi altare Deo. Nuptialis pompa hilaritate ſolet conſpergi: & agreſtem nimis dicas eum,qui incultus &, vt aſſolet ruri colendo, ſquallidus, his ſe non erubeſcat ſiſtere. Hunc palàm corripuit Dominus dum, Amice, inquit, quomodo huc veniſti non habens veſtem nuptialem?

*Cultus pro diebus ſacris.*

PRAETEREA, temporum triumphi, introitus principis, fugæ item & cladis, tum funeris efferendi

*Cultus triũphorum.*

longe

longe diuersa est ratio, & non eodem modo vestimur. Nero reuersus è Græcia Neapolim albis equis & alio magno fastu introijt, disiecta parte muri, vt mos Hieronicarum fertur per portas non ingredi. Romam pòst venit eo curru præteruectus, quo olim Augustus triumphauerat, vestem purpuream, chlamidemq; stellis aureis distinctam, & coronã Olympicam capite gerens, manu Pithiam, præeunte pompa, & subsequente cæterorum excellenti caterua. Hæc magna quippe sunt, summaq; maiestate digna: maiora autem videbuntur, etiam si tristißima, quæ miseram fœlicitatem subsecuta sunt. Expectauere fata nugis illusum. Nero idem, qui nuper trabea, corona, purpura, auro, margaritis splenduit, qui nullam vestem vnquam bis induit, cuius vxor Poppea soleas iumentis suis ex auro induerat, qui ipse nunquam minus mille rhedis iter fecit, soleis mularum argenteis, mulionibus Canusina lana, idest, laudatißima indutis, armillata & phalerata, cum seruorum Cappadocum Mazacum turba atq; cursorum, Vbi res sibi pessum ire videt, cùm fugæ se expedit, nudo pede, tunicatus, penulamq; obsoleti coloris superindutus, & sordidè adoperto capite equum ascendit, quatuor tantùm comitantibus. Et hercule iustè hæc æstimantibus non planè liquet, vitijs an fortunæ, temeritati an humanæ fragilitati, cuius nemo in prosperis satis meminisse potest, adscribenda sint. Fœlicitas, cùm aspirat, semper timenda fuit, cùm ad vltimum temeritati nihil sufficiat. Præterea rerum vicißitudo id solet ferre, docere, exhibereq; palàm, quàm parum sciat indulgere fortuna, si desit ratio: quæ sola est fœlicitatis continuatio,

*Neronis cultus introeuntis.*

*Neronis fugientis cultus.*

*Pompeij fugientis cultus.* tio,& ſine qua nihil diutius durare poteſt. Pompeius vbi ſuos à Cæſare pulſos cognouit, perterritus equũ nactus eſt, & detracto paludamento, quod erat imperatoris inſigne, Lariſſam fugit. *Craſſi cultus mutatio.* Craſſus rerum mutatione incommoda, vt tradit Plutarch. non purpureo paludamento, vt ſolebat, ſed nigro pallio indutus ad milites proceſsit. *Germanici magnificus introitus.* Germanicus ille tantopere vulgò fauorabilis ob corporis animiq; virtutes, quantas nemini cuiquam contigiſſe conſtat, dum è Germania poſt compreſſam ſeditionem rediret, Romamq; appropinquaret, ei obuiam ierunt vniuerſæ cohortes Prætoriæ mirifico cultu: populus autem Romanus ad omnem ſexum, ætatem, ordinem uſque ad viceſimum lapidem ſe effudit, etiam contra Senatuſconſultum, quo erat pronunciatum, vt duæ tantummodo cohortes exirent: vt ſcripſit Tranq. Pompam illam cum funebri conferamus. *Germanici luctus.* Tribunorum, inquit Tacitus, centurionumq; humeris cineres portabantur: præcedebant incompta ſigna, verſi faſces, atq; vbi colonias tranſgrederentur, atrata plebs, trabeati equites, pro opibus loci veſtem, odores, aliaq; funerum ſolennia cremabant. *Luctus ſummus.* Tranquillus luctum hunc amplius expreſsit. Quo die, inquit, defunctus eſt Germanicus, lapidata ſunt templa, ſubuerſæ Deûm aræ, lares à quibuſdam familiares in publicum abiecti, partus coniugum expoſiti: quin & Barbaros ferunt, quibuſcum bellum erat, velut in domeſtico communiq; mœrore conſenſiſſe ad inducias: Regulos quoſdam barbam poſuiſſe, vxorum capita raſiſſe ad indicium maximi luctus. *Cultus in luctu.* Q. Curtius Perſas ſolere ſcripſit detonſis in lugubri veſte coniugibus ac liberis, ſuos lugere. Funerum

rum ea maxima ſunt inſignia, cùm quicquid voluptuarium eſt, lætum, amœnum, aut hilare detrahitur: viciſſimq; pro gaudio mœror, pro lautitia ſordes, pro cultu ſqualor aſſumuntur: & quomagis illuxit, qui occidit, obſcuriore pompa elugendus eſt. Non rectè igitur Alexander Cyri ſepulcro aperto, miratus eſt tanti nominis regem, tantis præditum opibus non pretioſius eſſe ſepultum, quàm ſi fuiſſet ex plebe. L. Valerius Trib. pleb. apud Liuium, in luctu, inquit, purpuram & aurum deponunt, cùm eluxerunt, ſumunt.

QVI ad ſupplicium deducuntur, nullo inſigni veſtimento, ſed pannicularijs induti, nudo capite, fronte aduerſa, vehuntur. l. diuus. §. pannicularia. ff. de bo. damnato. Aul. Vitellius Imperator ſeminudus, veſte diſciſſa, religatis poſt terga manibus iniecto ceruicibus laqueo, reducta coma à capite, atq; etiam mento mucrone gladij iniecto, vt viſendam præberet faciem, néue ſummitteret, ad ſcalas Gemonias per vrbem traductus eſt. Qui capitis cauſam dicunt, qui denique his adſunt ſordidè veſtiti iudicium audiunt. Sordes, inquit Quintilianus, & ſqualores, & propinquorum quoq; ſimilem habitum ſcio profuiſſe, & magnum ad ſalutem momentum attuliſſe & paulò antè, vnde & producere ipſos, qui periclitentur, & liberos eorum, ac parentes, inſtitutum. *Cultus ad ſuppliciũ accedentium.*

CVLTVS modeſtiæ tractatum abſoluero, ſi ad exitum non omiſero, quod M. Cato legem Oppiam defendens palàm teſtatus eſt, eo luxu magna imperia euerti, quo animi enerues fiunt, quo item in auaritiam, viciſſim & pauperiem cogi oportet eos, qui ruenti luxuriæ obſiſtere nequeunt. Infœlix eſt & im- *Cultu profuſo animi eneruantur.*

becillis mens ſentientium ſe ornatu eo ſumptuoſo ad vires emuniri, cùm eò magis virtus atteratur, victoria langueſcat, animi iuxta ac corporis vires in mollitiem diffluant. Ideo rectiſsimè Scipio Minor militi cuidam ſcutū pulchrè ornatum oſtendenti, ſcutum, inquit, ſpecioſum eſt, at deceret virum Romanum dextram potius, quàm leuam obfirmare: ſcutum enim leua, gladius ſiniſtra geri ſolet. Exempla horum cuique occurrunt. Et quando noſtra enumerare non videtur, externorum vnum id eſt, quod ad rei æſtimationem & exemplum pertineat. Alexandri & Darij acies inuicem commiſſuras ornatu diuerſo tranſcripſit Curtius. Darius hoc ornatu ſe in campum coniecit. Magi patrium carmen canentes ſacrum & æternum ignem argenteis altaribus incluſum ſequebantur: hos trecenti & ſexaginta iuuenes punicis amiculis velati diebus totius anni numero pares. Currum deinde Ioui ſacratum albentes equi trahebant: quos equus egregiæ magnitudinis ſequebatur. Aurigæ albis veſtibus induti virgas aureas ferebant. Inſtabant decem vehicula graui auro argentoq; celata. Poſthæc incedebant equites multi gentium duodecim, variè armati, vt & horum varij mores erant. Aderant & his proximi decem millia vulgò immortalium, qui cultu opulento ſupramodum & effuſo elucebant: vt pote torquibus aureis, veſtibus auro diſtinctis, manicatisq; tunicis, & gemmis adornatis. Inſolens denuo turba prodibat quindecim millium horum, quos rex cognatos nuncupari ſinebat: hiq; muliebriter culti non tam armis, quàm luxu erant conſpicui. Sequebatur agmen hominum aliquot, qui regalem veſtem

*Collatio exercituū Alexan. et Darij.*

excipere

excipere aſſueuerant, currumq; regis anteibant, quo ipſe eminens vehebatur. Vtrunque vehiculi latus Deorum ſimulacra ex auro argentoq; formata ornabant: gemmæ interſutæ iugum diſtinguebant,ex quo eminebãt duo aurea & cubitalia ſimulacra velut concertantia, & inter hæc præteruolanti ſimilis aurea Aquila eminebat. Rex ipſe inſolenti & luxurioſo cultu videbatur. huius tunicæ purpureæ medium album intextum erat: palla erat auro diſtincta, huicq; aurei accipitres inter ſe dimicantes acu picti erant.Zona aurea,muliebri mollitia,cinctus erat. Poſt currum procedebant haſtatorum decem millia cùm haſtis argento exornatis, & ſpiculis auro præfixis. Peditum triginta millibus & regis equis quadringentis claudebatur agmen.Sequebantur Regis mater & vxor cum fœminarum maximo comitatu: liberi Regis & horum nutritij, ſpadonum grex, pellices regiæ trecentæ ſexaginta regio cultu,& poſt has ſexcenti muli & trecenti cameli pecuniam regis ferentes cùm ſagittariorum præſidio. Eo ornatu Darius tantæ multitudinis Rex Alexandrum velut aliud agens & nihil ſollicitus adoritur. Sublimia hæc omnia,& ferè prodigioſa ſi fortuna non defuiſſet:ſi viri eo cultu enerues non fuiſſent magis,quàm fortes.Contra acies Macedonum diſpar erat,cùm illa equis, viris, ferro, & ære fulgeret: non auro,non argento, neque diſcolori veſte. Agmen erat hominum, qui & ſtare & ſequi, ſignum & nutum noſcere didicerant. nulla turba ſuperflua: nullæ ſarcinæ graues. Darius tandem,cùm è ſublimi curru concurſum militum nihil curaret, loci, in quo pugnãdum erat,anguſtijs redactus eſt ad pau-

*Alexandri exercitus quomodo ornatus.*

*Darius victus vestem mutauit.*

citatem, quam in hoste contempserat, postremò cum suis in fugam coactus. Ille, spe mutatata, seipsum corripiens, cultusq; profusioris pœnitens, vestem superbam in conspectu agminis deposuit, & humiliorem superinduit, decorum quoq; futurum ratus si ostendisset suis se leui ornatu tunc contentum esse.

# DE LVDO.

## LIBER IIII.





RADATIM se consequuntur cultus, ciborum luxus, & ludus. Sedit populus, vt scriptum est Exod. xxxij. manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Inde ad idololatriã deciderũt, hisq; mœchari dicti sunt. Neque enim solet vllum vitium finiri ibi, vnde oritur, sed vt dicit Velleius, vbi semel à recto deerratum est in præceps peruenitur, nullusq; huic rei modus est. Et erat absoluta cautio, non declinare, sed viam sequi, cùm malorum nostrorum ipsi nobis sementem facimus: & quotienscunque à nobis semel peccatum est, totiens & infinitè peccandi illecebra producitur. Cùm etenim omne fundamentum, quod in nobis est, à Deo exijt, si super id Diabolus nouerit nos ædificare far, stipulam, fœnum, aut ligna, qui astutus est, incendium supponit, quo extinguendo in materia tam flagrante quis quæso sufficiet? Fœlix certè, quem

*Malorum pertinax cõtinuatio.*

Domi

Dominus hoc excidio liberum voluerit: Fœlix & cui id præuidere & noſcere opportunè datum eſt, & abire liberum. Vas figuli probabit fornax,& hominem iuſtum tentatio.ædificandum igitur erit auro,argento,& margaritis,firmoq; lapide,ne vt in farre, fœno , & ligno ſcintilla in præſentem flammam euagata citius ſuperædificatum abſumat. Similia ex S.Hieronymo in Iouinianum tranſcripta ſunt in c.ſi enim. de pœnitent.diſtinct.2. colum. mihi v. & quia ludo, vt ſuperioribus mœchari, & à modeſtia abire paſsim videamur, aptum erit huius ſerie tractatum noſtrum concludi.

LVDVS ſiue luſus fuſa ſua ſignificatione eſt,etiam cùm,ſiue iucundè, ſiue mordicus quis ſcurratur: licet propriè ludus in facto dicatur,& Iocus in verbo.De vtroque dicturi præmittemus ludorum plura eſſe genera,vnum exercendi,alterum ſortis. Exercendi ſpecies expreſsit Plautus in Bacchide, Curſu, inquit, luctando, haſta, diſco, pugillatu, pila, ſaliendo ſe exercebant magis. In his autem vt in cæteris, quæ ſortis ſunt,ſemper in promptu habendum eſt,quid quenq; deceat,cauendumq;, inquit Cicero, ne voluptate elati in turpitudinem delabamur. Suppeditant enim & Campus Martius, ſtudia venandi,aliaq; ludendi honeſta exempla. Hæc prudentiſsimè ſubduxit Ariſtoteles lib.Rhetor.ad Theodect.primo.c.xj. Verum, inquit,quoniam iucundum eſt vincere non ſolum in contentioſis,ſed & in omnibus, ludos etiam omnes, qui pugnæ aut contentionis ſpeciem habent iucundos eſſe neceſſe eſt: ſæpe nanq; in ipſis victoria ineſt. Idem & diſtinguit horum quoſdam pro conſuetudine

*Ludus quid.*

*Ludi ſe exercendi.*

*Modeſtia in ludo.*

*Ludi commendatio ex Ariſtotel.*

*Ludi sortis.* dine ludentis iucundos esse, vt tesseram, aleam, pilam, tabulam, aliosq; liberos ludos: si quis enim his assuescit, iucundi videntur: alios insuper statim videri iucundos: sunt hij, Venatio & omnis bestiarum persecutio, cùm ibi certatio sit, victoria, lætitia, & exercitatio. Idem Aristoteles lib. Ethicorum x. cap. vj. inter loquendum de fœlicitate, hanc ludi partem non omisit. *Fœlicitas quæ expetibilis.* Docet ille fœliciter & succinctè operationes eas esse expetibiles, à quibus nihil præter operationem quæritur, quemadmodum & fœlicitas illa sola est, quæ per se sufficiens est, & quæ nullius indiget rei: Ita esse de omnibus actibus, qui à virtute proficiscuntur, *Ludi quando iucundi.* vt ludi, qui iucundi sunt: si non propter aliud adeantur, & suscipiantur, quàm quòd illi iucundi sint. Quòd si auaritiæ studium eò nos producat, ludorum cessat iucunditas, quorum prorsus iucundorum id proprium est, vt iucundi sint, vt sæpius detrimentum ex ipsis, quàm commodum suscipiatur. Corpus igitur & patrimonium negligere debent ludos adituri: oblectamentaq; ideo dicuntur beatorum & diuitum, quòd ad fœlicitatem vitæ & animi, non ad auaritiam pertineant: & ideo, quos talibus dextros esse contingit, reges & principes maximè solent dignari & commendare. Vltra voluptatem superiorum Quintilianus docet lusu moderato ingeniorum vigorem excitari. Ad specialia igitur veniamus.

*Ludi quinq; dati in authen. Alearum.* IVSTINIANVS Imperator in noua sua constitutione, Alearum vsus. C. de relig. & sump. fune. sortis, sub aleæ vocabulo, ludis prohibitis, quinque exercitamenta, quibus luderetur, ordinauit: Comonouolon, Cōmodaumolo, Regindalia, Cempon, & Reypusara.

pusara. Quorum vocabulorum monstris stupefacti eruditiores, de his nihil certò decernunt. Alciatus modestissimè idem de seipso præfatus, ne tamen lectorem molestum dimitteret, coniecit primo loco corycouclon legi posse, esseq́; iactum pilæ docet. Altero loco κῶμον διαύλον, idest lusum cursorium. Tertiò, βασίλινδα, qui lusus est, cùm ducta sorte aliquis fit Rex, isq́; quid laboriosum ministro, qui sorte pariter obtigit, imperat. Quartò Catampon, quòd inter ludos à Festo enumeratum est: qualis sit ille ludus nemo hactenus certò pronunciauit. Quintò ῥίπτειν λακίρας, à decursu latrunculorum, idest calculorum. Accursius & eius sequaces audacius fortè, quàm certius, velut œstro, siue, vt malim dicere, inscitiæ furore perculsi in contrarium diuinant, nihil prorsus de corrupta lectione conquesti. Interpretantur primum esse, vbi lapis in longum proijcitur: secundum, vbi lapis vel palus in breue spatium limitatum irruitur: tertium, cùm equites velut in certamen se proruunt: quartum, cùm taxilli ligno proijciuntur: postremum, vbi pondus dentibus eleuatur. Vtcunque sit, etiam si sint alij interpretes, nihil legi quo diuinationem hanc Accursianorum poßimus reijcere, nisi quòd illa prorsus simplex sit, causamq́; nullam habeat, nisi planè œstricum illum furorem, à quo plura recepta exijsse paßim legimus, etiam si rudibus & planè inscijs vix contingat.

PILAM lusoriam primus inuenit Pithus, vt tradit Plinius. Illa quadruplex est, vsu tamen communi triplex tantum. Prior vera pila est, quæ pila trigonalis dicta est, cæterorum prædura, firmo pilo plena, & ab *Pila lusoria trigonalis.*

t eo

eo nomen ſumpſit : reticulo non palma proijcitur, aut redditur, ad Ouidij carmen.

*Reticuloq́ pilæ leues fundantur aperto.*

*Pila paganica.* Illam *Eſteuf*, dicunt. Altera dicta eſt paganica, pluma plena : eaq; pagani palmis in campo liberiori vtuntur. Eo ludo magis elabrandum eſt, quàm cum reticulo in ſpheriſterio luditur, in quo minus multò ſudari ſolet & exantlari. Dicitur vulgò palma. Alia *Follis.* eſt, quæ follis dicitur, noſtrates, *Ball* dicunt. hæc ex pelle fit ventoq; inflatur, craſsior cæteris, ſed paulò grauior : pugno inter ludendum, aut pede, aut ligno ad id apto, non palma aut reticulo redditur. à flatu follis dicta propriè eſt. Superiora clariſsimè & ſuccinctiſsimè declarauit Martialis hoc diſticho.

*Hæc, quæ difficilis turget paganica pluma,*
*Folle minus laxa eſt, & mage laxa pila.*

*Pila expedite luditur* Luſus id genus expeditum hominem deſiderat, veſtimentisq; exutum eſſe oportet : vt de Dyoniſio Syracuſanorum tyranno ſcripſit Cicero lib. Thuſcul. q.5. *Dionyſius pilæ ſtudioſus.* Atque is, inquit, cùm pila ludere vellet (ſtudioſe enim id factitabat) tunicamq; poneret, adoleſcentulo, quem amabat, tradidiſſe gladium dicitur. Hic, cùm quidam familiaris iocans dixiſſet, huic quidem certè vitam tuam committis, arriſiſſetq; adoleſcens, vtrunque iuſſit interfici : alterum, quia viam demonſtraſſet interimendi ſui, alterum, quia dictum id riſu comprobaſſet : atq; eo facto ſic doluit, vt nihil tulerit grauius in vita: quem enim vehementer amarat, occiderat. Vides regem ſolitarium, ſibi ipſi moleſtum, ſuſpectum, nulla hora non offenſum pila frequenti luſiſſe.

LVDOS id genus nuncupatim prohibitos non reperi,

peri, cùm ferè nihil ſortis habeant, ſed exercitationis multum: imò & inter valetudinis cautiones annumerantur ab Vlpiano in l.ſi quis mihi mandauerit, ibi,ſphęriſterium,hypocauſta,& quædam ipſius valetudini apta.ff.mand. Galenus luſum paruæ pilæ maximè commendat de exercitatione tractans, cenſetq; nulla alia re magis exerceri corporis partes, quàm palmaria pila,quàm nos ſuprà paganicam dici docuimus: Illa enim, inquit idem, adeo hominum vſibus eſt accommodata, vt huius copia ne pauperrimo quidem homini denegata ſit. Si igitur, vt doctè ratiocinatur Gropetius Anglus medicus, exercitatio corporalis ſit labor honeſtus, humanæ vitæ fida cuſtodia,dormientis naturæ ſtimulus,ſopiti caloris Luna,morborum mors,temporis lucrum,iuuentutis debitum, adoleſcentiæ diſciplina, ſenectutis gaudium, ſalutis adiutorium, æmula & expultrix omnium malorum, ſitq; pila ab omnibus inter exercitationis genera maximè laudata, æquum non eſſe conſequitur, ab ea ſubduci,tanquam à fœlicitate humana, legibus & prohibitionibus. Q.Mutius Scæuola clariſsimus legum vates & certiſsimus, optimè pila luſiſſe dicitur,animumq; ſuum forenſibus miniſterijs fatigatum ad hoc diuerticulum transferre ſolebat: eoq; nos docuit lege ſua id non tantum licere, ſed laudabile & vtile eſſe. Vlpianus ex Mella & Proculo ſcripſit pilæ ludo adeo deferri, vt ſi vehementia colluſoris pila percuſſa cædes aut ſpectantis, aut aliud agentis contingat,impunita ſit.in l.item Mella.in princip. ff.ad l. Aquil. vbi pilam palmariam ſeu paganicam intelligendam puto,ex eo, quòd illa in vico aut foro aper-

*Pilæ ludus aptus valetudini.*

*Exercitationis cõmoda.*

*Scæuola pilæ ſtudioſus.*

*Pila permiſſa.*

tè ludatur, vbi & sæpius tondi solet: nunquam in sphæristerio, in quo trigonali pila luditur. Notanda sunt verba Proculi hæc, & sanè, si ibi tondebat, vbi ex consuetudine ludebatur. Similis ferè textus est in l. qua actione. §.si quis in colluctatione. & in l.si ex plagis. §.cùm pila plures luderent. & in l.Item si obstetrix. §.fi.& in l.nam ludus. ff.ad l.Aquil. Iustinianus in d.auth.alearum vsus.pilam lusoriam probauit, si Alciato credimus. Iurisconsultorum responsis de aleæ lus.& aleato.ff.pilæ mentio facta non est, præterquam, cùm virtutis ludi expressi sunt, quorum cùm de numero sit pila, illam ijs cõtineri æquum est, etiam si inter exempla à Paulo data in l.solent. ff.illo titul. omissa sit. Exempla enim regulam nihil restringunt, l.damni infecti stipulatio.ij. ff.de damno infect. & l. legata supellectili. in princip. ff.de supellect.legat.canones nihil expressè cauerunt, tantum aleatores incusarunt. c.episcopus. 35.distinct. & c.inter dilectos. de excess.prælato. Ad aleas, inquit Pontif.Innoc.aut taxillos non ludant, aut vbi luditur intersint. in c.clerici.de vit.& honest.clerico. Cætera ludendi genera, quæ colluctationem virtutis habent, & labore absoluuntur magis, quàm sorte, laudabilia sunt. d.l.solent. & d.§.si quis in colluctatione.& d.l.item si obstetrix. §.sed si cùm alij in campo iacularentur. de hisq; dubitatum hactenus non est, præterquam in ludo decursorio, quem nos *tournay* dicimus, quem reiecerunt canones: vetant enim milites conuenire, & ad ostentationem virium suarum congredi, etiam si virtutis causa fiat, cùm inde hominum cædes & animarum pericula procedant: verba sunt concilij Lateranensis in c.j.

*Ludi virtutis permissi.*

*Ludi decursorij prohibiti.*

c.j.de torneam. Idem ius duellum reprobat. c.monomachiam.2.q.4.non obstante pugna comprobata inter Dauidem & Goliam: facit text.in c.j.& ij.de purgat.vulga. & in c.j.de cler.pug.in duel. Lex ciuilis indistinctè id non definiuit, sed considerauit quo animo colluctetur. Nam si quis, inquit Vlpianus, in colluctatione, vel pancratio, vel pugiles, dum inter se exercentur, alius alium occiderit, si quidem in publico certamine, cessat Aquilia, quia gloriæ & virtutis causa, non iniuriæ videtur damnum datum: verba sunt text.in d.l.qua actione.§.si quis. ff.ad leg. Aquil. Contrà, si inimico animo ad vindicandum aut nocendum id fiat, tunc aut in otio, aut in castris: primo casu cruenta spectacula in otio ciuili & domestica quiete non placent: quapropter omnino gladiatores esse prohibentur: verba sunt Constantini Imperato. in l.vna. de gladiatorib.libr.xj.C. In castris autem & belli tempore id admissum, cùm iniuriæ probatio deest, modo Tribunus id concesserit: vt notatur in d.l.vna. & in d.§. si quis in colluctatione. Alioquin autem, Plutarcho consultore, militaribus certaminibus se exercere conuenit, vt in iaciendis hastis, tractandis arcubus, venationibusq; persequendis & cæteris id genus. *Duellū quādo illicitū.*

LVDI alij sunt, vt aleæ, tesseræ, talorum, tabulæ, par impar, cæterorumq;, quibus cum sorte magis, quàm cum virtute colluctandum est. Alij item, vt scruporum siue latrunculorum, quos scachos dicimus: hisq; ingenio & arte magis, quàm fortuna certatur. *Ludi sortis.*

ALEAM seu tesseras Troiano bello primus inuenit Palamedes, vt tradit Plinius. Huius vsus antiquior *Alea lusus calamitas.*

infinitis exemplis docuit, quam ſit res improba, ex qua tot iacturę datæ, tot noxæ & calamitates contractæ ſunt, vt tandem in re deplorata nihil, niſi lacrymas, abiectionem animi, & deſperationem exutorum miſeris ſupereſſe videamus. Hinc deierationes, & in Deum & ſanctos eius anathemata, & graues blaſphemiæ: & quando virtuti nihil conceditur, ſed fortunæ duntaxat, iactuq́; teſſeræ alter ſummū, alter exiguum numerum producat, neceſſe eſt pro humana leuitate illum frontem exporrigere: hunc verò iniquo animo ferre & ira accendi, adiurare, ſpem abijcere, & ſeipſum adeo conturbare, vt nemo non iudicet maximè eſſe metuendum eo furoris, calamitatis, & noxarum ſe conijcere, vnde ſe ſubducere nemini ferè ita affecto liberum eſt. In ſumma id negotium adeo varium eſt, vt nihil certum habeat, præterquam mœrorem, pauperiem & infamiam. Ob eam varietatem rectè Philoſophi antiqui aleam vitæ noſtræ, quaſi luſui, contulerunt: vt quemadmodum, quicquid alea iacta profert excipiendum eſt, ſiue ſummum, ſiue puſillum, neque denuo iacere licet: Ita quæ humanæ vitæ caſu nobis obtingunt, ſiue proſpera, ſiue aduerſa, neceſsitatem ferunt: neq;, ſi meliora expetamus, aut diſtorqueamur, immutantur; ſed diſponenda ſunt prout fatum volet. Stobæus id Socrati detulit, Plutarchus Platoni. Id luſit Terent. in Adelp.

*Alea varietas varios motus profert.*

*Alea varietati vita noſtra cōfertur.*

*Ita eſt vita hominum, quaſi cùm ludas teſſeris.*

Inſipientiæ igitur non ferendæ eſt, tam infœliciter laſciuire, vt ſorte noſtra adeo incerta non cōtenti aliam ſuperaddamus & grauiorem & miſeriorem. Ea mouerunt Imperatorem, qui in d. auth. alearum vſus. luſum

ſum hunc, licet antiquum, prohibuit. Antea rogatæ fuerant leges, Titia Publicia, & Cornelia, quæ ſponſiones omnes, ex quibus virtute certandum non erat repulerunt. l. quibus ex rebus. ff. de al. luſ. & aleato. Iuriſconſultus inter maleficia, quæ ſola cogitatione ſubnotantur, aleatorem non omiſit, ſed nominatim expreſsit in l. fugitiuus. ff. de rer. & verb. ſignifi. Alea Romæ ludere olim non licuit, eiuſq; rei grauior lex conſtituta eſt, quæ exilij pœnam haberet. Linicius Lenticula, quòd domi & in foro alea luſiſſet deportatus eſt: huncq; cùm M. Antonius reſtituiſſet, à Cicerone taxatur, quòd ea reſtitutione, aleam à lege damnatam probaſſe videretur. Tranquillus in Auguſto ſcribit aleatorem eo tempore Romæ malè audijſſe. Et is eſt luſus, quem canones clerica dignitate indignum cenſuerunt. d. c. inter dilectos. de exceſsib. prælat. & c. clerici. de vit. & honeſt. clerico. & c. epiſcopus aut presbyter. 35. diſtinct.

*Leges luſoriæ.*

*Alea Romæ olim illicita.*

TABVLAE ludus, ſi teſſeris & tabula expeditur, fortunæ ludus eſt, vt & eſt is, quem par impar Horatius lib. ſermo. ij. ſaty. iij. dixit, & Tranquil. in Auguſt. Hicq; omnes lege ciuili illiciti ſunt. auth. interdicimus. C. de epiſcop. & cleric.

*Ludus tabulæ.*

*Ludus par impar.*

SCRVPORVM, aut ſcacorum ludus, quia ingenio & arte luditur, non ita exoſus eſt, ſed permiſſus: d. l. nam ludus. ff. ad leg. aquil. & gloſ. in d. auth. interdicimus. in verb. ad tabulas. Accurſ. in glo. j. in fi. in l. error facti. C. de iur. & fact. igno. huius ludi meminit.

*Ludus ſcruporũ ſeu ſcacorum.*

HAEC omnia vera & obſeruanda ſunt, cùm lex dictet, iubeat, vetetq;. Sed modeſtiæ officio id vetitum erit, ſi prudenter otia negotiaq; diſponamus: vt & inconti

continētiæ vitio nihil horum, quæ licent corruptum erit. Nam quemadmodum pilæ lusoriæ laudabilis modus intemperantia exacerbari potest & in vitium verti, ita vicissim alearum odium vsu laudabili mitigari. Ludendi etenim, vt & cæterorum, modus est retinendus, vt ne profusè nimis nostra conficiamus, ne animum proijciamus indulgentius: vt potius luxuriari, quàm ludere: honestum deserere, quàm animum laxare videamur. His enim futurum est, vt, aut voluptate elati, aut iactura abiecti, prout sors futura est, in quodcunq; horum res exeat, velimus, nolimus, in turpitudinem certò dilabamur. Scæuola idem, quem pila optimè lusisse diximus, alea quoq; & calculis vacasse interdum dicitur: sed non vt eo otio tempora tereret, patrimonium profunderet, negotia publica intermitteret, tantum verò, cùm diu ac bene ciuilia iura & diuinas ceremonias constituisset. Ille etenim homo grauissimus, vt de eo tradit Valer. Max. vt in rebus serijs semper visus est Scæuolam egisse, idest, virum seuerissimum, consultissimum, & prudentissimum: ita & in scurrilibus lusibus hominem, idest, naturaliter continui laboris impatientem, liberius egit. Aug. Imperator animi laxandi causa modo piscabatur hamo, modo talis aut oscillatis, nucibusq; ludebat cum pueris minutis, quos facie & garrulitate vndiq; conquirebat. Eundem Imperatorem in omnibus vitæ partibus continentissimum fuisse ac sine suspitione vllius vitij scripsit Tranquillus: aleæ tamen rumorem non expauisse, sed ea lusisse simpliciter, & palàm oblectamenti causa etiam senem, præterquam mense Decembri alijsq; festis profestisq; diebus: eaq; constare

*Modestia in ludo.*

*Alea quomodo licite ludatur.*

*Augusti in ludendo modus.*

*Augustus quomodo alea lusit.*

ſtare clarius quadam ipſius epiſtola. Cœnaui, ait, mi Tyberi cum iiſdem. Acceſſerunt conuiuæ Vinitius & Silius pater. Inter cœnam luſimus γεροντικῶς, & heri & hodie. Talis enim iactatis, vt quiſq; canem aut ſenionem miſerat, in ſingulos talos ſingulos denarios in medium conferebat: quos tollebat vniuerſos, qui venerem iecerat. Et rurſus alijs literis. Nos mi Tyberi, quinquatrijs ſatis iucundè egimus. Luſimus enim per omnes dies, forumq́; aleatorium calfecimus. frater tuus magnis clamoribus rem geſsit: ad ſummam tamen perdidit non multum, ſed ex magnis detrimentis præter ſpem paulatim retractus eſt. Ego perdidi xx. millia nummûm meo nomine: ſed cùm effuſè in luſu liberalis fuiſſem, vt ſoleo plerunque, nam ſi quas manus remiſi cuiq;, exegiſſem aut retinuiſſem, quod cuiq; donaui, viciſſem vel quinquaginta millia. Sed hoc malo. Benignitas enim mea me ad cœleſtem gloriam effert. Inſuper & alia epiſtola, quam ſcribit ad filiam. Miſi tibi denarios ccl. quos ſingulis conuiuis dederam, ſi vellent inter ſe inter cœnam vel talis, vel par impar ludere. Vides fœlicem ac liberalem ludendi iucunditatem Imperatoris, qui xx. millia maluit perdere, quàm l. millia auarè lucrari. Contrario ritu luſit Cæſar Caligula, qui ne ex luſu quidē aleæ compendium ſpernens, plus mendacio, atq; etiam periurio lucrabatur. Et quondam proximo colluſori demandata vice ſua progreſſus in atrium domus cùm prætereuntes duos equites Romanos locupletes con feſtim corripi confiſcariq́; iuſsiſſet, exultans redijt, glorianſq́; nunquam ſe proſperiore alea luſum. Nero quadrigenis in punctum HS. aleam luſit. Auguſtus

*Auguſti in ludendo iucunditas.*

*Par impar.*

*Caligulæ luſus.*

*Neronis luſus.*

*Domitiani lusus.*

dies sacros ab hoc oblectamento exclusit. Scæuola item eas horas, quibus sacra ordinanda erant. Domitianus Imperator non ita modestè. Nam quotiens otium erat, alea se oblectabat: idq; adhuc rectè: sed profestis diebus, matutinisq; horis, parum decorè. Commodum erit huc transcribere Senatusconsul. Parisiense anno quadragesimoseptimo supra sexquimillesimum, conditum, in hæc sanctissima & religiosissima verba in rem nostram.

*Senatusconsf. Parisiẽse sanctissimũ de ludo.*

LA COVRT, OVY *sus ce le procureur general du Roy, deüement informee, que à ces saints iours de la sainte semaine peneuse de Pasques & les deux ensuiuant, que les bons Chrestiens doiuent principalement entendre au diuin seruice, & laisser toutes comessations & ieux de dissolution, neantmoins plusieurs n'ayans la crainte de Dieu deuant les yeux, par obstination de mauuaise vie, s'efforcent lesdits iours aux heures, que lon doit vaquer & entendre au diuin seruice, aller aux ieux de quilles & courte boulle, de paulme, & qui est encores pis, de dez & de cartes, en aucuns lieux, ou lon en tient le berlant: & de là vont aux tauernes & cabarets, & vaquent à comessations & gourmandises, postposant entierement le seruice de Dieu; auquel ilz deuroient vaquer & entendre: & par ce moyen font plusieurs insolences scandaleuses à tout le demeurant du peuple, & de mauuais exemple, & bien souuent iurent & maugreent le saint nom de Dieu & de sa tresglorieuse mere: & souuent aduient, qu'il y ha des exces & batteries, & plusieurs autres crimes & delicts troublant le repoz des bons & vrays Chrestiens: A quoy la iustice souueraine, la premiere partie de laquelle en ce Royaume Treschrestien est, & doit estre, garder & faire garder l'honneur de Dieu & de l'obseruance de la sainte religion Chrestienne*

*en*

*en defendant toutes choses contraires, & punissant les transgresseurs de peine exemplaire, doit promptement & diligemment obuier. A ceste cause par prouision & iusques à ce que autrement en aura plus amplement esté ordonné, ha inhibé & defendu, inhibe & defend à tous les manans & habitans de ceste ville de Paris & fauxbourgs d'icelle, & de toutes autres villes de ressort (qui tiennent ieux de quilles, & quilles à baston, courte boulle, paulme, ou berlans de dez & cartes) de tenir lesdits berlans publiques, & ieux de quilles & de ieux de cartes, dez & pariages qu'ilz si font en tout temps, iours & heures, sus peine de punition corporelle, quant à ceux qui les tiendront, & aussi quant à ceux qui ioueront, sus peine de prison, & de grosse amende pecuniaire, à la discretion de la iustice pour la premiere fois: & pour la seconde sus peine de prison & de punition corporelle. Et quant aux autres ieux susdits de les tenir ouuers, & y receuoir aucuns esdits saints iours durant le temps que lon vaquera au diuin seruice, ou à la predication, sus peine quant au proprietaire de la confiscation de la proprieté du lieu: & quant aux locatifs de vingt liures Parisis d'amende. Et à tous les manans & habitans en ladite ville de Paris, & autres villes susdites & villages esdits saints iours, es heures & temps que lon fait le diuin seruice, du matin ou apres disner, & la sainte predication de la parole de Dieu, y aller, sus peine d'amende arbitraire. Semblablemāt inhibe & defend tresexpressement, sus les peines, que dessus, à tous tauerniers & cabaretiers, de tenir lesdits iours aux heures, que lon fait le diuin seruice aux Eglises, soit du matin ou apres disner, & que lon presche la parole de Dieu, leurs tauernes ou cabarets ouuers & y receuoir aucun. Et defend aussi à tous durant ledit temps, que lon fait le diuin seruice ou la predication de la parole de Dieu, sus la mesme peine de tenir prison & d'amen-*

*de arbitraire, d'aller ausdites tauernes & cabarets. Et ordonne que les presentes inhibitions & defenses seront faites à son de trompe & cri publiq par les carrefours de ceste ville de Paris & autres villes de ce ressort, non seulement pour les iours susdits, mais pour les iours de tous les Dimenches, de L'ascention de nostre Seigneur, de la vigile & iour de Penthecoute & deux iours ensuiuans, des festes & solennitez de la tressacree & tresglorieuse vierge Marie, vigile de la Toussaints, vigile & iour de Noel, & les deux ensuiuans : & que la publication de ces presentes à son de trompe & cri publiq sera faite d'oresnauant trois fois l'annee : à sauoir le mercredi de la semaine peneuse du matin à dix heures en attendant onze, & les vigiles de Penthecoute & de Noel à l'heure susdite.* Et paulopost formas obseruandi descriptas. *Aussi fait ladite court defenses durant le temps susdit de sonner tabourins ou trompettes par la ville, pour ieux de basteleurs ou autres, sus peine de prison & de punition corporelle. Defend aussi esdits manans & habitans de ceste ville de Paris & autres villes de ce ressort de leur bailler maison, ou lieu pour ce faire durant ledit temps sus peine de dix liures Parisis d'amende pour chacune contrauention. Fait en Parlement le vingtseptieme iour de Mars l'an mille cinq cens quarante & sept.*

*Modestia omnia accōmodat etiā vitiosa.*

LVDENDI qualitates ludum ipsum variant, vt & in cæteris negotijs cōtingit. Nihil enim tam sanctum est, quod vtendi modo præpostero non corrumpatur : & ediuerso, nihil est tam odiosum aut indecorum quod vsu recto non accommodetur. Obseruandum igitur primò erit, quo tempore ludas, cùm profesto, aut eo certè, quo diuina absoluuntur, pro Christiana religione non liceat : neq; tantæ rei dignitas his oblectamentis turbanda est. Tum, quos habeas collusores:

*Ludendi tēpora.*

*Collusores deligendi.*

lusores: hij enim sine delectu assumendi non sunt. Cùm vidisset Sara filium Agar Aegyptiæ ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham, Eijce ancillam & filium eius. Ioseph, cùm non haberet, quos deligeret, lusit cum tribunis suis. Hæc notantur in c. Iosep. & in c. lusit Isaac. 32. q. 4. Insuper, quo ludi genere: tum, quo affectu: postremo, quanto tempore. Quòd si corruptè & eo delectu postposito ludas, mœchari, non modestè agere videberis.

*Ludendi genus affectus & tempus cōsiderātur.*

SOLENT in materia ludi perplexè tractari quædam controuersiæ, quarum cùm maior pars ad forum pertineat, illas, quæ videbuntur non superfluæ, non disputando, sed notando, summatim attingam, cæteris omissis. Otiosum etenim & plusquam scurrile fuerit in disquisitionem exponere, & super eo seriosius confligere, an à sententia fortunæ per sortem aut aleam data possit appellari: dicereq; fortunam rerum omnium humanarum superiorem, naturaliter vagam, multa negotia præcise absoluere, summæq; & nouissimæ cognitionis iure iudicare: Ideo non audiri eum, qui prouocato iudicio velit contendere, aut errorem causari, & per eius speciem fortunæ iudicium in consilium referre.

*Sentētia sorte data an appellatione possit oppugnari.*

CVM LVDVS omnis maxima libertate censeri debeat, tam cùm suscipitur, quàm in ipsius legibus ex composito asserendis: æquum non erit vim adhiberi, siue vt quis ludere cogatur, siue vt iniquis legibus ludat. Pluribus modis id contingit. Primò, Iubentis autoritas pro vi est: Nam & absolutè imperat, qui superior rogat. Laberius ex equestri ordine minus factus sexagenarius Cæsaris iussu inuitus egit: Induxit

*Ludere coactus.*

*Autoritas rogantis imperium est.*

in rem ſuam Syri habitum, qui veluti fragris cæſus, ac proripienti ſe ſimilis exclamabat.

Porrò Quirites libertatem perdidimus.

Ac paulò poſt ſubiecit.

Neceſſe eſt multos timeat, quem multi timent.

Ad hæc verba mouit populum aſtantem, qui coniectis in Cæſarem oculis, gratum ſe habere nutu docuit illius impotentiam his vocibus lapidari. Laberius hac actione violentiam, quam patiebatur contra libertatem priſtinam, vltus eſt. Colluſoris item dolus & blanditiæ pro violentia reputantur. Solet & adhiberi vis cùm volens à ludo deſiſtere vi & minis retinetur: vt dicit textus in l. ſolent. ff. de al. luſ. & aleat. hæc lex ciuilis ex Prætoris edicto animaduerſione digna cenſuit, plectiq; voluit, aut mulcta patrimonij, aut latumijs, aut vinculis publicis, vt ex eodem edicto reſpondit Vlpian. in l. prima. in fin. ff. illo tit. & licet violentiæ duntaxat mentio facta ſit, ſunt tamen, qui ſuaſiones, dolum, & blanditias eodem iure conſtituant. arg. l. primæ. §. perſuadere. ff. de ſer. corrup. Aleatores etenim ſolennes id in promptu habent artificium, vt ſibi ignotos adeant, & prouocatione ſubdola commoneant ad ludum: initioq; ſolent ſimplicitatem aſsimulare, & pecuniæ colluſoris parcere, donec luſu ille incaluerit, eumq; ita paulatim fouendo conturbare: tandem conturbatum calliditate exuere partim aleis adulterinis, partim arte in id expedita. Luſores hoc genus ad reſtitutionem tenentur eorum quæ lucro quæſierunt: vt dicit Angel. in tractat. maleficio. not. metido. de mal. dad. in princip. Nam cum turpitudo à ſolo vincente procedat, eius occaſione

*Ludere an negatur qui dolo inducitur.*

*Aleis falſis ludens quomodo puniatur.*

lucrum nancisci non debet: Ita ratiocinatur Bal. in rub.C.de condict.ob turp.caus.& ita tenent Io. And. & Imo.in c.clerici. de vit. & honest.clerico. Neque is falsus aleator debet ea restitutione liberari, sed pœnam subire grauiorem. Quæ illa pœna sit, non satis constat: quandoquidem criminis nomen in promptu non est. Sunt, qui furtum dicunt: idcircoq; vt furem puniendum, argumento sumpto ab eo, qui se falsò simulauit creditorem esse: ille enim, si quid acceperit, furtum facit: nec nummi eius fiunt. Verba sunt Vlpiani in l. falsus creditor. in princip. ff. de furt. Nam quemadmodum debitor videtur ei soluisse per speciem creditoris veri, ita & lusor, qui perdidit, videtur ea alea lusisse, quam veram putabat, & adulterinam ignorabat: igitur hoc errore per quandam tacitam & præsumptã cõditionem nihil actum esse videtur in præiudicium perdentis: arg.l.si me in vacuam.ff.de acq.possess.falsum igitur aleatorem, qui nummos alienos arte substraxit, furti teneri probabiliter dici potest. d.l.falsus. Angel.hæc refellit duabus leuissimis rationibus. Prima, quòd vsus id non fert, vt is tanquam latro furca suspendatur, quæ ratio friuola & aliena est, cùm latronis & furis diuersa sit pœna: illius enim capitalis est, & vltimum supplicium, l.capitalium. §.famosos. ff.de pœn. huius verò non est.auth.Sed nouo iure. C.de furt. Secunda, in istis, inquit ille, barramentis consensus decepti non abest, cùm videatur ludendo consentire.l.prima.ff.de pign. actio. Igitur,inquit,non habet sua propria diffinitio furti,vt scilicet sit contrectatio rei alienæ domino inuito.l.prima.ff.de furt.ergo furtum non est.Sed hanc secundam

*Alea falsæ lusus an sit furtum.*

*Angeli leuis ratiocinatio.*

*Furti diffinitio.*

ſecundam rationem prorſus falſam eluſerimus, ſi argumentum conuertatur hoc modo probabili. furtum eſt contrectatio rei alienæ inuito domino. hoc principium abſolutè verum eſt, nec negari poteſt. Qui falſam aleam ſubiecit,& eius arte colluſoris ignorantis pecuniam ſubſtulit, ab inuito ſubſtuliſſe dicitur, cùm nemo præſumatur iactare ſuum: ergo & furtum commiſiſſe dicendus eſt. d.l.falſus. iuncta l.ſi me in vacuam.& licet à quolibet Angeli ſillogiſmus eludi poſsit, gloriatur tamen ſe ita ſubtiliter reſpondiſſe duci Ferrarienſi. Quibuſdam Angeli opinionem probantibus ſuccurrit & tertia ratio, quòd ſcilicet furtum ſoleat clàm fieri: idq; trahunt ab etymologia vocabuli, vt fur à furuo, ideſt obſcuro dictus ſit.l.prima.ff.de fur. Aleatorem igitur,ſi palàm auferat, neque vi, neque domino prorſus inuito auferat, furem non videri. Sed hæc ratio nihil ſuperiores iuuat, cùm furtum etiam palàm fiat:quòd ſi clàm duntaxat fieri dicatur, tolli oportet furem manifeſtum. text. eſt in l.fur eſt. & in l.nec manifeſtum. ff.de furt.

*Fur à furuo.*

Alij crimen falſi id eſſe dixerunt ad inſtar eius, qui ſciens commodaſſet falſa pondera, vt venditor emptori merces appenderet: verba ſunt l.arbitrio. §.de eo autem, qui ſciens. ff.de dol.mal. In hanc ſententiam Angel.nihil protulit, licet reiecerit. Ego putarem iuſtam eſſe, ſi alearum & ponderum eadem eſſet iuſtitia: ſed cùm illæ ſint odioſæ, & extra legitimorum ordinem, parum, ſiue veræ, ſiue falſæ ſint, curantur: hæc verò probabilia, legitima, neceſſariaq; veritatis indicia exactiſsimè obſeruantur: d. §.de eo autem. Alij ſenſerunt expeditius eſſe recurrendum

*Alea falſa vtēs an falſum committat.*

ad

ad regulam iuris,qua vbicunque titulus criminis deficit, illic ſtellionatus obijci. l.ſtellionatus accuſatio. §. vbicunque. ff.de crim.ſtellio. & hanc ſententiam excepit vſus: maximè, cùm crimen huiuſmodi in his locum habet, quæ per diſsimulationem, calliditatem, & dolum falsò commiſſa ſunt: vt & facto noſtro ſatis conuenit.d.§.vbicunque. Lex ciuilis certam non ſtatuit coërtionem: Iudex igitur extraordinem pronunciabit.l.ij.illo titul. Quidam grauiorem furti pœnam definiunt his falſis aleatoribus, vt & ſaccularijs lex indixit, qui vetitis artibus res alienas ſubtrahunt: plus enim, quàm fures puniendi ſunt: dicit Vlpian. in l.ſaccularij. in princip. ff.de extraord.crimi.Par. de Put.in tract.de ludo.cap. an ſi quis luſit cum vno. in fi.tradit vidiſſe ſuo tempore,quoſdam falſarum alearum conuictos in remigium marinum deportatos ætatem egiſſe: alios ſuffixos cruci, eosq́;, qui nullum alium viuendi ritum haberent, quàm vagari & perquirere,quos exuerent artificio ſuo.

*Alea falſa vſus an ſit ſtellion.tus.*

*Saccularij.*

*Aleator falſus capite puniendus.*

CIRCA probationem impoſturæ huius Salicet. in l.ea quidem. C.de accuſat.illuſo contra aleatorem falſum adeo faueri dixit, vt etiam hij, qui malè audiunt & infamia fragrant,audiantur. Rationem hanc habet clariſsimam. factum, horum tantum teſtimonio,qui viderunt,probari poteſt. Probi his reprobis ludis nunquam adſunt,ſed improbi tantum:igitur & his erit neceſſario credendum.faciunt,quæ ſcripſit Io. And.in c.j.de teſtib.cog.

*Alea falſa probatio.*

PRAETERIRE nolim,quòd licet maior ſcribentium pars eadem reputauit, colluſorem vi cogere, & ſubdolis verbis impellere, videaturq́; pro his facere

*Ludere coactus vi aut ſuaſione.*

text.in l.vna. C.de rapt.virgi.ad fi.tamen acerbiorem esse sententiam,quàm vt sequenda sit, æquissimè censuit Angel.num.9. Iurisconsultus enim in d.l.prima. & in l.solent. in princip. de al.lus. & aleat. edictum interpretans vim nuncupatim requirit. edictum item illud pœnale est, & si non restringi, at certè extendi non debet.l.odia.de reg.lib.sexto. Vis autem solet in collusorem committi, quotiens quis autoritate aut minis ad ludendum compellit: aut & secundo, cùm per eum à ludo abire non licet: Idq; duobus modis contingit. Sunt enim, qui collusorem post lucrum abire volentem minis aut ferro retinent: & hæc quidem vis est, de qua Paul.in d.l.solent. in princip. Secundò,cùm inter collusores initio conuenit,neutri licere abire, nisi deperdita certa pecuniæ summa: quæ pactio, cùm nullius momenti sit, nihil cogit ludum sequi,& nihilominus poterit relinqui, cæteris inuitis: qui si de pactione concertent, velintq; huic morem geri,vim facere dicuntur. Hæc notant Guill. Bal.& Angel.in l.iurisgentium. §.prætor ait.ff.de pact. Debent autem hæ minæ sufficere ad terrendum etiam constantem virum.l.metum.ff.quòd met.caus. Neq; ferendus, qui tam properè suasionibus paruit, si de sua temeritate quæratur: aut si non ignorans aleatorum morem improbum,cum his collusit,& perdidit: Item & abire volens,si cæteris præuaricationem obijcientibus cessit: arg. l.si verò non remunerandi. §.si adolescens luxuriosus.ff.mand.

*Lusorē abire uolentē retinens vim cō mittit.*

*Ludi pactione possit alter abire.*

SVPERIORA vera sunt in maiore,aut in eo, qui sui iuris est, non prodigo aut profusuro: quia si in prima adolescentia sit, aut pronus ad patrimonium effund

*Minor dolo ad lusum inductus videtur coactus.*

effundendum, ſatis videbitur impelli illecebris, etiam ſi vis abſit: cùm leuius iuuentæ igniculi coaleſcant,& à quocunque bono viro reſtingui, non excitari debent, ſitq́; facile huius ætatis homini perſuadere. l.fin. §. filius autẽ.C.de bo. quæ libr.vt & in ſimili de mutui frequentia dicit text. in l.prima. & iij. ff.ad Macedo. Ang.nume.6. ſentit edictum prætoris de vi illata, vt ludatur, ita intelligi,vt etiam calliditate inductus vim pati dicatur: alioquin, inquit, fruſtrà edixerit prætor,cùm nemo ad ludendum propriè vi cogatur: lex enim non debet eſſe inanis. l.ſi prætor. in princip. ff. de iudic.

SECVNDO, quemadmodum ordinarij, ſeu ſolemnes videntur luſores,qui hunc prorſus viuendi ritum habent: ita & ſunt,qui luſores ſuſcipiunt, & his diuerſoria apta exercent, vt & caupones, & ſtabularij,qui hominibus cauponam,& equis recipiendis ſtabulum exercent. l.j. §.caupones. ff.naut.caupo. ſtabu. illiq́; propriè aleatores dicuntur,quos lex viles perſonas reputauit. vt dicit Bal.in l.prima.in princip. ff.de ale.luſ.& aleat. Prætor in huiuſmodi ſuſceptores tria ſubnotauit. primum, vt ſi vapulauit & incuſſus eſt, non poſſit vindictam perſequi, eiq́; actio iniuriarum denegatur.d.l.prima.in princip.& §.j.verſ. Suſceptores duntaxat prohibuit vindic.ff.de al.luſ. Secundum vt ſi quid in domo eius ſubſtractum ſit, damnumq́; ei aliquod datum, actionem in id prætor ſe non daturum edixit: imò pronunciauit furtum factum domi & eo tempore,quo alea ludebatur,impunè factum eſſe: prout & verbera illata & damnum datum. verba ſunt d.l.primæ. §.item notandum. Tertium,vt ſi

*Aleatores ſeu ſuſceptores.*

*Suſceptores luſores quibus puniantur.*

*Furtum impunitum.*

*Mutuum nõ ob. gans.*

pecuniam ſuſceptor ipſe ſit mutuatus luſori, repetere non poſsit, aut certè ſit exceptione ſummouendus. quòd poſtremum ſumitur ex d.auth. alearum vſus. hæc not.Io.And. & Imo.in c.clerici.ne cler. vel mona. Quæ tamen non adeo immaturè ſunt accipienda,vt paſsim & iniquè liceat eum ſuſceptorem offendere, ſiue verberibus, ſiue damno dando. Oportet enim occaſionem offenſæ datæ ex ludo, & eo tempore,quo apud eum luditur,ſubortam eſſe, & offendentem luſorem eſſe. Quòd ſi quid horum deſit, vt luſor non ſit,qui damnum dat, qui furatur, quiq; diuerberat: aut & ſecundo, ſi luſor ſit, & extra ludum, aut non occaſione ludi in ſuſceptorem peccat,hij caſus extra prætoris edictum ſunt, & iure communi diſponuntur:eo etenim talia vindicantur ex lege Cornelia.§.ſed & hæc lex.inſtit. de iniur.aut furti. Nihil obeſt text.in d.l.prima.§.item notandum.ibi, licet luſor non fuerit. Id Accurſ. in vtranque partem aſſerit, vt ſcilicet ſit noxa impunita, ſiue offendens luſor non fuerit,ſiue ſuſceptor ipſe non ludat: quòd extremum verum eſt: primum iniquitatem habet promptiſsimam. Angel.numer.6.tenet impunitatem hanc edictam eſſe contra ſuſceptorem, in idq; duntaxat, quòd ſua ciuiliter intereſt: non autem contra publicam vindictam,quam qui offendit omni caſu fiet obnoxius: & pro hoc textus eſt notabilis in l.non ſolum.§.quanquam aduerſus patronum liberto iniuriarum actio non datur: veruntamen marito libertæ nomine competit.ff.de iniur. Ego apud Vlpian.eo loco notaui,dominum fiſci,ſi ſuſceptor ſit,offenſum, neque priuatim, neq; publicè ob vindictam fiſcaleq; emolu

*Suſceptor quando poſſit offendi.*

*Suſceptor aleatorũ impunè nõ vapulat.*

*Suſceptor aleato.fiſci dominus prorſus impunè quãdo offenditur.*

emolumentum, quod sibi quæreretur, admittendum esse: idq; in simili arguit text.in d.§.quanquam. ibi, si autem conliberta nupta esset dicemus omnino iniuriarum marito aduersus patronum cessare actionem. Quod tamen puto esse intelligendum, vt declarat August.addit. ad Angel.nume.8. vt oporteat dominum fisci & iustitiarium loci, in quo luditur, solere lusores suscipere emolumenti causa: & ita dicit glos. in d.l.j.in princ.de al.lus.in glo.j. Tria ergo requiruntur,vt susceptor dicatur, & offendi libere posit. Primum, vt suscipiendi consuetudinem habeat. Secundum,emolumēti gratia. Tertium,in domo sua. Alioqui, si homo nobilis iucundè & laxamenti gratia lusores inuitat & suscipit, non est susceptor, neq; aleator,& edicto non continetur: ita sentijt Azo in rub. C.de relig.& sumpt.fune. *Susceptor aleato. quis dicatur.*

TERTIO, cùm circa pecuniam varijs ludatur modis,horum erit & varia ratio. Ita subduco. Aut præsenti pecunia lusum est, aut dato ex promissore, aut simplici fide. Primò casu,si præsenti: aut propria, aut mutuo accepta. Si propria: aut lusor sui iuris est, aut alieni: aut maior,aut minor. Si mutuo accepta: aut à lusore,aut à susceptore,aut ab alio. *Ludi pecuniæ plena distinctio.*

MATERIA solennis & frequens est: exhibet enim restitutionis perditorum absolutoria,item & contractuum cæterorumq; legitimorū pragmatum in actu lusorio initorum vitia æstimat. Primus erat casus,cùm præsenti pecunia, eaq; propria, à maiore sui iuris lusum est. Canonistæ in d.c.clerici. Imo.& Io.Calde.in l.si quis cùm sciret.ff.de vsucap.pro empto.adhuc esse dispiciendum sentiunt,an ludo permisso,an prohibi- *Lusor an habeat repetitionem perditi.*

to lusum sit. Item si permisso: an grandem pecuniam perdidit lusor, an modicam. Si modicam, quia id licitum erat, non repetit. d.auth.alearum vsus. Quòd si grandem, repetit condictione ex lege, ratione d.auth. Magna aut modica summa dicenda erit consideratione personarum: arg. l.cæteræ itaq;. ff.famil.ercisc. & l,quæsitum. in fi.ff.de testib. etiam si hac in re ad solidum res taxata sit eadem constitutione. Idem erit, si ludo illicito lusum est.d.auth.ibi, & actionibus competentibus repetatur. Ad casum tamen vtrunq; multum interesse puto, an qui prouocauit ad ludum, perdidit, an prouocatus. cùm primo casu prouocatio sit illicita, prouocãs ex sua turpitudine nihil aliud, quàm damnum merito consequi debet. c.sedes. de rescript. prouocatum autem, qui perdidit, antequam repetitionem habeat, oportet vehementer impulsum & quasi inuitum ad ludum commotum ab his, qui eo nomine malè audiunt, & tunc vis quodammodo videbitur. Quod si leui prouocationi parere maluit, quàm reluctari, sciatq́; prouocantem aleatorem esse, perdita non repetiturum æquum est.arg.l.si verò non remunerandi. §.si adolescens luxuriosus. ff.mand.eaq́; vera ego puto, tam cùm ludo prohibito magna pecunia iactata est, quàm cùm permisso. Porrò, si & dantis & accipientis turpis causa sit, possessorem potiorem esse, & ideo repetitionem cessare. verba sunt text.in l.si ob turpem causam. in fin.ff.de condict.ob caus. Sed hæc in Francia sollicitè inquirẽda non sunt, vbi consuetudine ludi fortunæ iuxta ac virtutis tolerantur: & ideo quæ ex his sublata sunt iusta ac non subdola aut falsa victoria non restituuntur. idq́; tenet

*Ludere compulsus qui videatur.*

Io.

Io.And.in d.c.clerici.dicitq; conſcientia & foro excuſari luſorem,qui lucratus eſt ex beato Tho.2.2.q.32.

ALTER erat caſus,ſi alieni iuris luſor præſenti pecunia luſit,vt filiusfamilias & ſeruus: iiq;,ſi ludo victi fuerunt, patri vel domino competit repetitio. verba ſunt text.in l.fi.§.j.ff.de al.luſ.His additur monachus, qui habet Abbatem cenſorem ſuum: per gloſ.in d.c. clerici. Qui enim cum hoc genus luſoribus ludunt, ſuffurari videntur, cùm ſciant pecuniam horum non eſſe.arg.l.ſeruus cuiuſdam.ff.de condict.indeb. *Luſor alieni iuris.*

SI LVSOR propriam pecuniã non habens ſumpſit mutuam,& perdidit,noſtra ſerie tertio caſu,multum refert, à quo acceperit, an à colluſore, aut ſuſceptore, aut alio. hoc poſtremò caſu differens erit mutuum,factum ne ſit minori,an maiori. Primò caſu,ſi perdidit minor, non tenetur: text.eſt in l.quòd ſi minor ſua ſponte.§.reſtitutio.ff.de mino.gloſ.magna in l.quid ergo.ff.de donat.inter vir.& vxo.& alia glo.in l.ſi minor 25.annis filio. in prin.in verb.litis conteſtatæ.iuncto tex.ff.de mino. Quod ſi maiori,actio competit,ſi ludi non ſit particeps is,qui pecuniam mutuo numerauit.gloſ.in l.fin.in prin.in verb.accipit.ff.de al. luſ. Item,& ſi neſciat ſtatim perditurum, qui accipit: aut non interdicto mutuetur.circa hæc etenim creditorem curioſum eſſe oportet.l.quod ſi ſeruus.§.ſed ſi accepit.in fin.ff.de in rem verſ.& l.quod in conuiuio. §.ſi ſeruus.ff.de al.luſ. melior tex.in l.verum.§.pe.ff.de mino. Auguſt.in addit.ad Ange.nu.14.ſentijt eſſe tenendum,quòd regulariter mutuo data pecunia luſori etiam perdita repeti poſsit, niſi quatuor concurrentibus: primò, ſi colluſor numeret: ſecũdò,ſi ſuſceptor: *Luſor qui mutuam pecuniam perdidit.* *Mutuum factum luſori quando non repetatur.*

tertiò

tertiò,si minori: quartò,si bonis interdicto.in cæteris autem, etiam quantumuis perdituro factũ mutuum actionem parit: idq; vsus admisit contra maiorem scribentium numerum. Quod si à collusore, ex eo mutuo nulla datur actio, vt dicit gl.in d.§.restitutio. ff.de mino.not. in l.si filiofamilias. §.j.ff.quar.rer.act. non dat.& glo.in l.j.in prin.& in d.l.fin.in verb.accipit.ff.de al.lus. Quod si à susceptore, dum in domo sua luditur,suo damno pecunia deperditur,eiusq; nomine agens non auditur: ratione l.j.§.j.de aleæ lusita sentiunt Io.And.& Imo.in d.c.clerici. Cautio à pluribus adhibetur, vt postquam à ludo discessum est, aliquo iusto interuallo interueniente, qui pecuniam mutuo accepit à collusore aut susceptore, promittat se soluturum per stipulationem: aut in iudicio confessus sit, & soluere iussus: his casibus, siue lusum sit ludo permisso, siue prohibito,competit repetitio: vt dicit August.ad Ang.nume.16.

*Mutui pecuniæ lusæ cautio.*

*Contractus lusorij.*

HINC solet inferri,quòd contractus facti in ludo nullius sunt momenti, si collusorum, aut susceptorum commodo cedant. text.est in d.auth.alearũ vsus. In idem produci possunt, quæ de mutuo suprà diximus, quæ est cæterorum contractuum insignis species.l.ij.C.si cert.petat. De venditione nominatim respondit Iulianus in l. si quis cùm sciret venditorem statim consumpturum. vers.nisi forte & is,qui à luxurioso, & protinus scorto daturo.ff.pro empt.similis est text.in d.§.restitutio. vbi & rem venditam & pretium datum perditurus est, qui à venditore statim consumpturo emit: vera illa sunt inter collusores aut susceptorem. Sed si alius emerit, quàm collusor, aut

*Venditio facta in ludo.*

susce

ſuſceptor tenet venditio. Id tantum emptori non curioſo pœnæ relictum eſt, vt ſuo periculo ſibi res empta ſit: euictioniſq; nomine actionem nullam habeat. vt expreſsè dicit tex. in d.l.fi.§.ſi in alea rem vendam.ff.quar.rer.act.non dat. Quidam dicunt, euictionis actione ſublata emptori reſtitutionem pretij ſaluam eſſe: neq; enim bonæfid. contractus hanc patitur iniquitatem, vt emptor rem amitteret, & pretium venditor retineret: verba ſunt Vlpiani in l. emptorem.§.qui autem habere.ff.de actio.empt.facit l.j.§.illud.C.de lat.lib.toll.& l.pen.C.ad Velleia. Imo, & ſi apertè conuentum eſſet, nihil euictionis nomine præſtitum iri, tamen re euicta, ſi non id, quod intereſt, at certè pretium debetur.d.§.qui autem. Et licet nuncupatim ex d.§.reſtitutio. pretium non debeatur, tamen id in minore verum eſt: in maiore venditore non eſt. Item d.l.fina.§.j.quar.rer.act.non dat. euictionem tantum expreſsit, pretij mentione minimè facta, quod ad ius commune reuocandum erit: eoq; debetur.d.§. qui autem. Auguſt.ad Angel.nume.14.id diſtinxit: vt ſcilicet pretio perdito, neq; pretium, neq; id quod intereſt debeatur: non perditi verò pretij reſtitutio fieri debeat, vbi vltrà tenet poſt Bart.& gloſ.in d.l.fi.§.j.ff. quar.rer.act.nõ dat. ſuperiora vera eſſe, vbi ludo prohibito luſum eſt: quod ſi permiſſo, ſit actio plena de euictione: hancq; tantum rationem habet, ſi res tuas lucrari poſſum, ergo & emere.

*Vendens in ludo de euictione nõ tenetur.*

*Vendens luſor an ad pretium teneatur.*

QVOD ſi venditum in alea non eſt, ſed vendere promiſſum, & poſt ludum contractus ex compoſito abſolutus eſt, quibuſdam viſum eſt, vitioſam promiſsionem executione probabili obductam eſſe: vt

*Vendere promittẽs in ludo.*

est text.in l.si ob turpem causam.ff.de condi. ob turp. caus.vbi idem notant Bar.& Ang.in d.l.fi.§.j.ff.quar. act.non dat. Id tamen non perpetuò verum est, sed duntaxat, cùm maior ab alea prorsus & iusto interuallo dimissus exequitur, quod promiserat, argu.l.si ventri curator datus.§.peruenisse autem.in fi.ff.de priuileg.credit.similia sunt, quæ excepit Barto.in l.post contractum.ff.de donat.minorem autem semper excipimus,cùm etiam extra aleam vendendi facultatem non habeat.d.§.restitutio.

*Lusori oblatio pecuniæ an valeat.* ALIVD circa id solet dubitari,an si lusori in ludo pretium offeratur prioris emptionis,vt iuxta pactum reuendat,possit offerens liberari. Id copiosè disputat Tyraq.in fin.titu.de ret.lignag.nume.83. cùm duobus seq. Et nos quædam in id scripsimus in commenta. nostris ad consue.Burb.§.ccclxxx.ibi,congruus enim locus non erit. Angel.in d.l.si quis, cùm sciret. tenet, quòd solutio pretij eo modo facta redemptorem liberat.per l.si cùm dotem.§.j.ff.sol.matr.qui tex.notabilis est,ibi,quod ita verum est, si perdituræ soluatur.

*Trãsactio lusoria.* TRANSIGI inter collusores aut susceptorem nihil efficaciter potest: transactio enim fieri solet, vt à lite discedatur,quòd si nulla lis est,nec transactio.Sed si quid inter eos controuertatur, quia in re non licita contenditur, non lis erit dicenda: sed euidens calumnia, super qua transactio non valet, ob dolum & vitium causæ. Contractus enim id genus stricti iuris sunt. Hæc omnia leguntur in l.in summa. in princip. ff.de condi.indeb.eadem notantur à Canonistis in c. clerici.de vit.& honest.cleric.

*Ludi expromissor an teneatur.* SVPERSVNT tantum casus, quibus præsenti pecunia

cunia lusum non est, sed aut dato expromissore, aut fide collusorum duntaxat accepta. Bal. ex d. auth. alearum lusus. primum expediuit, consuluitq; expromissorem non teneri: cùm ex ludo actio non detur ex prætoris edicto, vt suprà diximus. quod verum erit, siue expromissor ludi sit particeps, siue non sit: quia, cùm videatur tantū fideiubere, & ad promissionem collusoris accedere, si promissio non valet, prout & verum est, nec accessoria cautio. Si lex etenim contractui occurrere voluit, vt certè his lusorijs voluit. d. auth. alearum. fideiussor quoque liberatur eò magis, quòd per huiusmodi actionem in ipsum datam ad reum perueniretur. hæc ratiocinatio Iaboleni est in l. cum lex. ff. de fideiussor. Casus postremi veritas inde suboritur, vt ex promissione collusor conueniri non possit. habet enim ille de iure repetitionem perditorum, ergo & exceptionem contra petentem. l. cui damus. ff. de reg. iur. quæ vera essent, cùm de ludo prohibito agitur: sed cùm simulatione temporis nullus ludus admissus non est, eadem, nescio, an fide, an corruptela, pertinacius pacta lusoria præstari videmus, vt vulgò iactatum sit, mercatorum fidem huic cedere. vt dicit Par. de Put. in tracta. lusor. c. an quando duo. in fin.

QVARTO, quæri solet, an offensæ lusoriæ puniantur? In id variatum est à scribentibus, qui rem, prout euenit, ita metiuntur: vt si casu collusor, aut alius offensus est, nulla offendentis deprehensa culpa, impunè cedat. Exempla in promptu sunt. Si cùm alij, inquit Vlpianus, in campo iacularentur, seruus per eum locum transierit, Aquilia cessat, quia non debuit per *Lusoriæ offensæ an puniantur.*

campum iaculatorium iter intempeſtiuè facere: qui tamen data opera in eum iaculatus eſt, vtili Aquilia tenebitur. Litem ſi obſtetrix. in fi. ff. ad leg. Aquil. Item, ſi quis in colluctatione, vel păcratio, vel pugiles dum inter ſe exercentur, alius alium occiderit, ſi quidem in publico certamine, ceſſat Aquil. quia gloriæ cauſa, non iniuriæ gratia videtur damnum datum. in l. qua actione. §. ſi quis colluctatione. illo tit. Et Aphenus, cùm pila, inquit, plures luderent, quidam ex his ſeruulum, cùm pilam recipere conaretur, impulit: ſeruus cecidit & crus fregit. Reſpondi, dominum ſerui agere non poſſe, cùm caſu magis, quàm culpa videretur factum. in l. ſi ex plagis. §. fi. eo. tit. Et idem Vlpianus, ſi cùm pila, inquit, quidam luderent, vehementiùs quis pila percuſſus, in tonſoris manum eam deiecerit: & ſic ſerui, quem tonſor tondebat, gula præciſa ſit adacto cultello, Proculus ait, tonſoris culpam eſſe. l. item Mella. in prin. eo. ti. Hæc vera ſunt in ludis probatis: in cæteris autem, ſi noxij ſint, eo ſolo, quod noxij ſunt, in culpa ſunt: imo, & criminum de numero ſunt. procæ. ff. orum. §. illud verò ſatis neceſſario, ibi, ludos exercere & alia crimina, diuerſum erit. l. nam ludus. ff. eo. tit. In alio caſu, non idem fuit iudicium. Dubitandi cauſam iniecit Prætoris edictum in d. l. j. de al. luſ. quo edicto licet impunè ſuſceptorem cedere. Nec luſorum eo loco meminit. Quidam ſentiunt, eodem iure, rem contra luſores diſponendam eſſe, alterumq; ab altero offenſum queri non poſſe, quia ſi horum odio quis infligitur, ergo & multomagis ipſi. auth. multomagis. C. de epiſ. & cler. Item & ſi ſuſceptor poteſt à luſoribus liberè offendi, æquum eſt iudic

*Cædes in ludo.*

*Luſor an colluſorem, vt ſuſceptorem poſſit offendere.*

iudicium idem ſibi in luſores licere. ff.quod quiſque iuris in al.ſtatue. ipſe eod.iur. vtat. Alij contrà ſentiunt, colluſorum iniurias culpa inter ſe illatas puniri, prout offendentium animus videbitur, ne quis ex ſua malitia commodum referat: idq; in argumentum ab edicto ſumptum, quo ſi ſuſceptor eo nomine compreſſus eſt, luſor autem omiſſus, ius commune ſuccurrit. Nihil obſunt, quæ ſuprà de ſuſceptore ad luſorem illata ſunt, cùm ſpecialiter prætor ſuſceptoris odium ſubnotauit, quo ſignificaret, ſe curam agere reprimendæ improbitatis hoc genus hominum: vt iiſdem verbis de caupone & ſtabulario dicit Vlpianus in l.& ita de facto.§.primo: verſ.miratur. ff.naut. caupo.ſtabul. Suſceptores enim malitia ſua luſores alliciunt, & omnium prorſus occaſionem præſtant. & ſimilia in Lenonem dicit Vlpia. in l.ex lege Iulia. §.lenocinij.ff.de adulter. huicq; pœna grauior ſtatuta eſt, quàm ſtupratoribus ea cauſa, quod crimen ſollicitauerit.l.mariti.§.qui quæſtum.ff.illo titul. Imo & auditum eſt lenones quoſdam concrematos. vt ſuprà primo libro diximus. Colluſor igitur offenſus, ſiue à colluſore ſuo, ſiue à ſuſceptore iniuriarum actionem habet: nam cùm illi in eadem ſint cauſa, ideſt, criminis conſortes, ferendum non erit, peruerſorum & nocentium cauſam eſſe potiorem, vt certè eſſet, ſi offendens liberè abeat. faciunt notata in d.l. nam & ludus.& gloſ.in verbo, luſerit. in c.primo.quib.mod. feud.amitt. Neque ſolet admitti defenſio huius, qui ludi vim & motus fragrantiſsimos excuſat: quicquid enim malum eſt, malè præſumitur actum.c.primo.de præſumptio.

*Suſceptorũ improbitatẽ notauit prætor.*

*Luſoris offenſa in colluſorẽ punitur.*

*Ludendi societas quomodo renuncietur.*

QVINTO, Notabilis casus solet contingere, Ineunt societatem communis periculi quatuor: & certam summam singuli conferunt ludendam: lusorq; vnus ex his eligitur. Hic sinistra alea pecunia communi deperdita, declarat socijs à ludo se non abiturum: suo tantum periculo posthac fortunam lusoriam experturum. Ludum recipit sua pecunia, cùm non supersit communis. Lucratus est. An socij priores, à quibus abierat, commune lucrum poßint petere? Distinctum est, cui facta sit renunciatio, præsenti ne, an absenti: si præsenti & annuenti, aut aliam pecuniam ad commune periculum non exhibenti, quòd inde lucratus est lusor, proprium sibi est, ratione mutua, quà damni partem non esset laturus prior socius, si damnum contigisset. ea enim mutuo se tenent in societatis lege lucrum & damnum. l. si non fuerint. §. fin. ff. pro soc. Iniquum quippe esset societatis genus, in quo quis lucrum, non damnum subeat. l. secundum naturam. ff. de reg. iur. text. melior in l. si igitur. in fin. ff. pro soc. Quod si absenti renunciatio facta sit, perplexior res est. Sunt qui id decidant ex l. sed & socius. §. si absenti. ff. illo tit. vbi, si absenti renunciata sit societas, quoad is scierit, quod is acquisiuit, qui renunciauit, in commune redigi. Detrimentum autem si contingat, solius esse, qui renunciauit, quod quodammodo iniquum videtur. d. l. si igitur. Ego puto hæc statuta esse in societate non limitata: in casu verò nostro fines habuit societatis, vt tandiu duraret, quandiu pecunia specialiter collata non esset perdita: ideo ea perdita, societas finem habuit. vt in simili descripsit Vlp. de equis communibus ad quadrigam datis &

mortuis:

mortuis:idem & de pecunia inuicem collata ad mercem emendam,quæ perijt.vt in l.si id,quod quis in societatem.in prin.& §.idem celsus.ff.illo tit.

SEXTO, Quæsitum scio, an socius vniuersalis teneatur socijs suis conferre,quæ ludendo abstulit? Bal. in auth.ex testamento.C.de collatio.sentijt non teneri, cùm subiaceant restitutioni, tanquam malè quæsita,vt vsura,& alius turpis quæstus.cap.ab extraord.35. distinct. Ego puto societatem æquis legibus metiri oportere.d.l.si non fuerint.§.fi.& l.fi igitur. At quod alea perdiderit socius, ex medio non esse laturum respondit Pomponius in l.adeo. §.quod in alea. ff.illo titul.igitur & à contrario sensu, si quid lucri abstulerit,non est in societatem collaturus.l.cum duobus. §. fin.ff.eod.tit. — *Socius an ludi lucra communicet socijs.*

## DE IOCO.

POST LVDVM, Ioci locus incidit, cuius ratio, vt maximè necessaria modestiam profitenti,contenenda non est.Iocari dicimur, quotiens ingenuè, & remisso animo quid iucundum proferimus,quod neminem ledit:idq; honestum est. Quod si illiberaliter,petulanter,& flagitiosè id fiat,vile & obscœnum est,mœchariq; videmur. Inofficiosum erit,in superiorem mordicus scurrari, quo eorum autoritas aut contempta, aut non obseruata videatur: tum apud plebẽ quid dicere,quo paupertati illudere videamur. Apud afflictos item, quo fortunam eorum exacerbare magis quàm consolari:& vt falso quendam conuitiari palàm non decet, ita nec vero conuitio ludere, siue corrigas, siue — *Iocus dictorum.* — *Iocorum modestia.*

scurram

scurram agas siue, vt sæpe fit, maledicas diffamandi gratia: quæ sunt particulæ, quibus hæc ioci species consistere mihi videtur. Imprimis, quemadmodum superiorum autoritati cachinno detrahi non debet, ita & ipsorum est pro dignitate sua se gerere, neque dicto aut facto quid scurrile proferre, quo possint euilescere: & ad id Callistratus. Obseruandum est, inquit, ius reddenti: vt in adeundo se facilem præbeat, sed contemni se non patiatur. Vnde mandatis adijcitur, ne præsides prouinciarum in vlteriorem familiaritatem prouinciales admittant: nam ex conuersatione contemptus dignitatis nascitur. l. obseruandum. ff. de offic. præsid. Claudius Cæsar absurdis suis iudicijs, & stolida sua patientia satis docuit, quàm vile sit homini dignitate præcellenti in seriosis scurrari. Illum ferunt de quodam negotio ita ex tabella pronunciasse, secundùm eos se sentire, qui vera proposuissent. Tum & excusanti cuidam testem è prouincia vocatum, quod mortuum diceret, Imperatorem dixisse, haberi pro excusato, quum id licuisset. Alij gratias agenti, quòd reum defendi pateretur, adiecit. Et tamen fieri solet. Tradunt insuper, adeo causidicos eius patientia solitos abuti, vt descendentem è tribunali non solum voce proterua, sed & lacinia togæ retenta, &, quod fuit petulantius, pede apprehenso retinerent. Vsque eò eius summa potestas & passim & palàm euiluit, vt Græculus quidam apud eum causas agens inter altercandum per calorem hanc vocem in illum emisit καὶ σὺ γέρων εἶ, καὶ μωρός. tu senex es & stultus. idq; dixit impunè. Censura equites recognoscens iuuenem probri plenum à

*Superiores quid obseruare debeãt.*

*Claudij Cæs. abiecta dictorum & iudicij ratio.*

patre

patre excuſatum ſine ignominia dimiſit, habere dicens cenſorem ſuum. Cenſoria olim ſeueritas maxima fuit, eiusq; extant exempla caſtigatiſsimæ diſciplinæ, quæ refert Gellius lib. 4. noct. Attic. cap. xx. Inter hæc vnum eſt huiuſmodi. Cenſor agebat de vxoribus ſolenne iuſiurandum: quærebat enim his verbis: & tu vxorem habes ex animi tui ſententia? quidam iuratus cauillator & ridicularius volēs videri ad hæc, equidem, inquit, habeo vxorem, ſed non ex animi tui ſententia. Iocus intempeſtiuus erat, neque in Cenſorem, neque à iurato & luſtrato emitti debuit, ideo mulcta illi dicta eſt. Gellius neque Cenſorem, neque ſcurram nominauit: quidam id Catoni Cenſori, & L. Portio Naſicæ recognito adſcribunt. Aliud fuit, P. ſcipio Naſica, & Mar. Popilius, cùm equitum cenſum agerent, equum ſtrigoſum & malè curatum, equitem verò habitiſsimum & vberrimum ſe offerentem ita interrogarunt, Cur, inquiunt, ita eſt, vt tu ſis, quàm equus, curatior? quoniam, inquit, ego me curo: equum Statius meus. Viſum eſt parum reuerens eſſe reſponſum relatusq; eſt ſcurra inter ærarios, vt mos erat. Seuerior multò vindicta fuit Dyoniſij Syracuſanorum Tyranni in familiarem, qui iocans dixerat, poſtquam Tyrannus pila luſurus gladium adoleſcentulo, quem amabat, tradidiſſet, illum vitam ſuam adoleſcentulo commiſiſſe. quo dicto vitam iocanti adimi iuſsit.

*Cenſoria ſeueritas.*

*Iocus intempeſtiuus.*

*Iocus in ſuperiorem.*

*Iocus in tyrannum.*

BONO iure plebs cachinno conteri non debet à ſuperioribus. Ideo perſpiciendum erit, qua modeſtia illa interpelletur. Cumq; paupertate maximè commendetur, magisq; manibus quàm alia re victum quæ-

ritet, censumq́; superioribus suppeditet, nihil à potentioribus obijci debebit, quo significent se paupertatem vitio dare. Cuius rei præsentem pœnam dedit Scipio Nasica. Ille enim adolescens, cùm ædilitatem curulem peteret, ac, vt candidati solent, manum cuiusdam opere duratam prænsaret, rogauit hominem, num manibus ambularet. Hoc leui ioco rusticanæ tribus commotæ sunt, & eò suspicantes sibi paupertatem probro datam, effecerunt, vt repulsam ferret.

*Iocus in populum.*

*Afflicti consolandi nō illudendi.*

AFFLICTI consolatione digni sunt, memoresq́; nos esse oportet humanæ leuitatis, quæ nihil firmū ac diutius mansurū votis nostris aptum adhuc excepit. Satis enim videri debet pro hominum leuiori natura, si alienis fortunis & miserijs surdi simus: Neq; eas ioco insectari modestum est, etiam si ignoto, aut inimico contingant. Vox Neronem de fuga sollicitissimum consulentis acerba & crudelis laudata illa non est, vsqueadeo ne mori miserum est? Deliberabat enim tam ferox bellua, quanta posset miseratione, veniam præteritorum precari, eaq́; causa in publicum prodire: ac ni flexisset animos, Aegypti præfecturam precari. Cicero ex Næuio commemorat patrem condemnatum, à filio his pressum verbis, quid ploras pater? indignatum magis, & respondisse, Mirum ni cantem, cùm sim damnatus. Indignum fuit afflicto ploratum obijci, nihilominus ac si quis ægrotum arguat suspirij, aut decubitus.

*Conuitium quando illiberale.*

CONVITIVM, siue verum, siue falsum, etiam si iocandi gratia emissum sit, si offendat, semper illiberale est. Tyberius Cæsar aduersus conuitia licet firmus, ac patiens, iactaretq́; sæpius in ciuitate libera linguam

guam mentesq́; liberas esse debere, tamen perseuerantes se inuicem osurum minabatur. Nero Cæsar matrem occiderat: Aegretulit tamen à quodam Africano simulato consolationis ioco sibi dictum, Orant te Cæsar Galliæ tuæ, vt fœlicitatem tuam fortiter feras. Sunt enim plerique supramodum dicaces, vt passim & palàm non dubitent maledicere, iocari, scurrariq́; petulantius sine delectu conuitij, aut personarum: malintq́; suæ indulgere dicacitati, quàm amicitiæ parcere: quo fit, vt amicos planè perdant, cùm iocum retinere non posint: quod maximè vituperans Fabius, longè, inquit, absit propositum illud, Potius amicum quàm dictum perdidi.

*Dicaciũ proteruia.*

CASTIGATIONI & sua est modestia & ratio. Nam vt pluribus leuis coërtio deneganda non erit, vt patri in filium, patrono in libertum, magistro in discipulum, marito in vxorem, iudici in malefactorem: laudabile fuerit seuerè & grauiter coercere & animaduertere, quæ vitiosa deprehendas, quæ item pa rari agnoscas, aut timere posis. Leuis enim coërtio, inquit Vlpianus, etiam in nuptam, vel conuitium non impudicum cur patrono denegetur? l. non solum. §. quanquam. ff. de iniur. facit tex. in l. sed si quencunque. §. fi. ff. ad l. Aquil. Vicisim indecorum erit castigationis specie palàm his maledicere. Magni ingenij est, scire sequi castigationis legem & coërtionis modestiam non prætergredi. Pericles Atheniensis aliquando belli dux creatus Chlamidem induens imperatoriam seipsum apud se prudenter admonebat, quibus legibus esset munus id gesturus: nihilq́; eo efficiendo habuit magis præcipuum, quo se accom-

*Castigandi modestia.*

*Imperiũ in liberos præcipuum.*

 modaret,

modaret, quàm imperium in liberos, dicebatq; eum, qui liberis sciret imperare, Græcis & Atheniensibus posse rectè imperare. Oeconomia hæc pietate mutua côntinetur: & quemadmodũ patris officium est, liberos piè ac benè instituere, ita vicissim liberorum, obsequi, perdurare, et proficere in cœpta animi pietate: alioqui domus patrisfamilias nihil aliud erit, quã hara, & flagitiorũ schola: idq; sæpius, quàm seuerum patris nomen pati debeat, agnoscimus apud plerosq; impios, insulsos, vitæq; damnatæ & dissolutæ homines.

*Domini Iurisdictionales quãtum erret in imperio suo.*

Magistratus & domini suum imperium paterna pietate, non, vt assolet, sua sola voluntate exercere debent, prudenterq; suis preesse, hos fœliciter gubernare, consilioq; pacis moderari potestatem, non tyrannidem exercere, non sœuire & insanire in bonos & pios, non persequi quenquam aut afficere iniuria. Hic amplissimus datur campus inculpandi quorundam Dominorum iurisdictionalium impotentiam effrenem, & deplorandi miseram subditorum sortem. Cùm etenim omnis potestas à Deo sit, riteq; omnia videantur instituta, hominum præuaricatione res eò decidit, vt nihil nisi corruptum & inuersum agnoscas. Diabolus item, D. Pauli testimonio, tumultibus & seditionibus suis omnia miscuit, turbauit, confudit, & euertit. quædam in hanc rem diximus in commentarijs nostris. §. cj. Pro immutationis obliquæ vario & peruerso effectu dixisse satis sit populum hodie Regis benignissimi Henrici prouidentia à militaribus iniurijs defensum. domesticæ tyrannidi & ferociæ iurisdictionali prædæ esse. Huius populi curam Deus agat, Rexq; iustissimus noster his occurrat maximè

optan

optandum eſt. Satis enim fuerat, ſubditorum libertatem & fortunas in negotia regis grauiora reſeruare, non permittere, vt temerè ſigillatim conterantur, deſinantq; ea vſura ad illa ſubeunda eſſe apti. Solent alioquin ad ſimplicem nutum principis eſſe paratiſſimi, & alacres, etiam ſi quid arduum & inſolitum exequendum, aut pendendum ſit, Iaſonis Theſſali dicti ſalis memores, qui ſe purgare ſapientiſsimè ſolebat ijs, quibus moleſtiam attuliſſet, quòd diceret eum, qui in magnis rebus ſe iuſtitiæ cultorem haberi velit, in pleriſque interdum illam violare decere: idq; ſæpe contingere, vt cæteræ res ſaluæ ſint. Parentibus, vt tandem ad rem nos referamus, & maioribus in liberos iunioresúe conceditur caſtigatio, illaq; non ſolet reprehendi, ſi modeſta ſit. l. iij. C. de patr. poteſt. l. cùm oportet. §. non autem. C. de bon. quæ liber. & l. j. C. de emendatio. ſeruo. Denuo paterfamiliâs domeſtica & leuiora delicta corrigere, punire, & animaduertere poteſt, idq; erit laudabile ſi ſæuitiam non immiſceat. l. reſpiciendum. §. furta. ff. de pœnis. Ad hæc ſi docens leuiter diſcipulum caſtiget, officiosè facit, idq; permittit lex. ſed etſi quemcunq;. in fin: & l. ſeq. ff. ad. l. Aquil. Cæterum maritus vxorem honeſtè ex probabili cauſa emendare poteſt legis permiſſu, ſæuire autem in eam minimè poteſt. l. ſi quis in graui. §. ſi maritus. ff. ad Sillanianum.

*Iaſonis Theſſali excuſatio prudentiſſima.*

POSTREMO, ſi quis iracundia, diffamandi cauſa, palàm maledixerit, impunè actum non erit. lege diuina maledicentis pœna corporalis fuit & pecuniaria. Expandit, inquit lex Deutero. c. xxj. veſtimentum coram ſenioribus, apprehendentq; ſenes virum, & ver-

*Conuitiũ diffamatoriũ.*

berabunt illum, condemnantes insuper centum siclis argenti, quos dabit patri puellæ, quoniam diffamauit virginem Israël. Hodie ignominia mulctantur, qui falsò conuitiati sunt, iubenturq́; reddere iniuriam perpesso, quanti sua interesse æstimabitur. l. j. ff. de iniur. Ea etenim modestia viuere debemus, vt non lacessiti, vicissim neminem offendamus: idq́; est summum iuris præceptum. §. iuris præcepta. instit. de iusti. & iur. Diffamatio id genus duobus modis fit. Primò, si conuitiemur verbo præsenti animoq́; ab omni ciuilitate alieno. Alioqui si per iocum quiduis dicatur, aut fiat, loco & tempore, non fit iniuria. l. illud. ff. de iniur. voluntas enim maleficium determinat. l. qui iniuriæ. ff. de furt. Altero, scriptis famosis, quæ grauius offendunt, hærentq́; diutius, quàm verba, ideoq́; magis prohibentur. l. non solum. §. si quis in libello. ff. de iniur. & C. de famos. lib. Flauius Domitianus scripta famosa, vulgoq́; edita, quibus primores viri, ac fœminæ notabantur, aboleuit: non sine autorum ignominia, quòd videret rem esse pessimi & incommodi exempli. Quibus modis iudicia id genus, tractentur, admittantur, extinguantur, iudicenturq́;, latè scripsimus ad cõsuetud. Burb. §. xv. quę hic prætermittimus.



FINIS.




NESCIT LABI VIRTUS.